54652/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30511239

OBSERVATIONES MEDICÆ

Scubert Dr

QUAS COLLEGIT

D. MELCH. ADAM. WEIKARD

REV. AC CELS. PRINC. FULD. ARCHIATER,
CONSILIARIUS AULICUS AC MEDICINÆ
PROFESSOR, ACAD. CÆSAR. NAT. CURIOS.
ACAD. ELECTORAT. SCIENT. UTIL. ATQUE
PALATINÆ PHYSICO-OECONOMICÆ
SODALIS.

FRANCOFURTI AD MOENUM
IMPENSIS ANDREAEIS
M DCC LXXV

Medicis tanto magis omnis obſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis infirmitas eſt.

CELSUS.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRÆFATIO.

Medicinam aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernendo a ſalutaribus, ſubinde ortam eſſe haud non novimus. Experiundo enim ac obſervando Ars ſalutaris maxime co-

gnita fuit. Quippe is paſſim cenſetur Medicus prudens, qui multis & ſuis & aliorum experimentis eruditus ex præteritis futura prævidere, diſcernere ac dirigere valeat, cui ex numeroſis jam obſervationibus & tentandi aliquid in præſentibus & quiescendi ratio conſtat.

Aſt neque vulgare neque perfectum adeo eſt præſtantiſſimum illud obſervandi artificium ac forſan a nonnullis exiſtimari poſſet. Sunt,

qui

qui ſcientiis deſtituti inepte judicant. Sunt, qui ſua exaggerando ac omnia quæ novitatis gratiam exuerint abjiciendo, nil niſi mira ac nova emittere geſtiunt, ac audacter nos, ut dum optima non raro ad imitandum nobis proponimus fere quotidie experimur, ſub falſa medelæ exſpectatione decipere non abhorrent. Nec deſunt, qui pauca ea duntaxat extollunt, ubi artem ſuam profeciſſe putant, ne hilum memorantes ægrorum,

qui morbo finiti, vel iniquiore saltem post curationem valetudine conflictati sunt. Alterum observantium peccatum est, quod haud accurate satis ab omnibus attendatur, pro natura hominum ac locorum differre plerumque medicinæ genera, & aliud, ut apud *Celsum* legimus, opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Hinc & observationum vitio non exiguus hærebit semper artis medicatricis defectus.

Ergo

Ergo aliqua ſaltem eorum, ſi non omnia, anxia religione evitare ſtudeamus. Certe non niſi vera ego uſuque repetito probata, non nova licet ac ſtupenda, ſincere proferam; enimvero

Quid verum -- -- curo & rogo
& omnis in hoc ſum.

Atque de hominum ac locorum natura pauca quædam præmittere liceat. Morbos quidem ac vivendi rationem hominum urbanorum primi ordinis

Tiſſotus depinxit. Repetam breviter, Viros plerumque a juventute ſolutiores, peni deditos, morbisque inde cognitis mulctatos aut propriæ ſanitatis robur vitiaſſe, aut in mulieres non raro ac prolem conferre peccata, alios autem eorum plures ventri ac deſidiæ deditos ob potus ac cibi copiam ac varietatem ſuæ haud parum obeſſe ſanitati. Sexus autem ſequior ejusdem ordinis vitam fere hiſce duntaxat peragit.

Pro-

Provecta fere in meridiem die e lecto Matronæ ſurgunt, demum ad prandendi fere tempus usque, hauſto mane forſan jentaculo, coma componitur, veſtis inducitur, atque de faciei ac corporis habitu ſpeculum conſulitur; omnia ex effato notiſſimo: *dum comuntur, annus eſt.* Reliquis poſt prandium horis pomeridianis vel ludo in hominum frequentia opera datur, vel, ut modo moris eſt, domi fila reticulatim nectun-

tur. Tarde tandem cœna apponitur. Præterea non niſi ſera nocte dormitum ſe conferunt; atque novi mulierem, quæ ut quoque de claſſe Nobilium videretur, ante mediam noctem ſe lecto dare noluit, licet jam ab horis quibusdam oculos ac mentem ſomnus complexus fuerit. Nec deſunt inter tot, ut apparent, vitæ commoditates animi angores, curæ, inquietudines, quæ fluxi adeo ac mollis habitus corpora, ſenſilioresque

que eorum nervos exercent immanius, dicam zelotypiæ, invidia, inimicitiæ, ac reliquæ animi ſollicitudines. Hinc morbi arthritici, hyſterici, cachectici, menſium profluvia, abortus, frequens adeo ex utero fluxus albus aut discolor ulla vix arte corrigendus, corporumque pallor ac emaciatio, morbi fere ſunt Matronis proprii. Eſtque hoc vitæ ac morborum genus a nobilioribus Galliæ incolis impertitum noſtris, ac modo

ubi-

ubique iis prope commune ac idem. Triſti autem ſucceſſione hæc vel ſimilia humorum ac ſolidarum partium vitia a parentibus proli imbecillæ communicantur.

Generatim de Regione Fuldenſi ſequentia præhabere haud ineptum erit. Montes denſis ſtipatæ ſylvis Patriam nonnihil aſperiorem reddunt, ideoque nebulæ, pluviæ & reliqua ibi frequentiora ſunt, ut adeo non plurimus ſemper urbem ac oppida ſol

imple-

impleat ac circumeat. Ruſtica gens cereviſia, ſpiritu frumenti, cyclaminis, cæterisque vegetabilibus copioſe utitur. In urbibus eodem fere potu carnibusque præter vegetabilia fruuntur cives. Vinum enim pauci præter opulentiores guſtant, cum Hammelburgi duntaxat atque aliquibus verſus Franconiam oppidis vineta habeantur. Medicamentis evacuantibus, alterantibus, niſi larga doſi exhibeantur, noſtros, infantes ac

adul-

dultos, movere difficile eſt. Præterea lenta nonnihil gens eſt, proba cæteroquin & ſancta. Inter morbos hic frequentiores numerantur œdemata ac ulcera pedum phagadænica, aſthma, tuſſis, Arthritis, nec rara adeo hydrops, eryſipelas, tabes, ſcrophuli. Denique catarrhi, colli pulmonumque morbi acuti. Frequentius autem in urbe quam ruri morbi quidam epidemici hieme aut vere obſervantur. Cæterum fluviis

mino-

minoribus ac fontibus regio dives eſt.

Collectas nunc circa quosdam regionis noſtræ incolarum morbos obſervationes breviter ac juſte proponere liceat. Æquum de iis benevolus Lector ferat judicium. Scripſi Fuldæ, Anno MDCCLXXIV.



FASCICULUS PRIMUS.

EPIDEMIARUM PROGENIES

SIVE

DE FEBRE PUTRIDA, SCARLATINA, VARIOLIS,

AC

VARIO DEMUM FEBRIUM SIBI AFFINIUM GENERE.

PROGEMNASMATA

Obſervatum eſt pridem, Epidemias plerumque lentius decedere ac vulgo creditur. Febrium putriparum locum occupabant dyſenteriæ, notante olim Sydenhamo. Quippe idem fomes morbi epidemici ſenſim alterum poſt alterum morbi genus progerminat, atque paulatim debilior factus, perit tandem, extinguitur.

Non temere eapropter exiſtimari quoque poterit, Epidemiarum primordia æque paulatim capere incrementum atque efferre ſe demum inſolentius, non ſecus ac id quod ab iis reliquum erat, pedetentim ſolet evanescere. Forte, ſi accuratius aliquando luſtrentur ephemerides medicæ, ſi Epidemiarum hiſtoriæ magis ſollicite a capite ad calcem re-

vocentur, assertionis meæ tum veritas ratione atque experientia sat valide confirmari poterit. Audebit imposterum forsitan scrutator diligentissimus exinde, computatis iis, quæ cibus, aura ac reliqua non naturalium valeant, de Epidemiæ adventu, incremento, exitu, ac immutatione vaticinari utiliter.

Observavi certe morbos ex Epidemia sibi affines eadem fere curandi methodo aboliri; atque inde provenire poterunt frequentes adeo Medicorum in arte curandi dissensiones, istaque remediorum a Practicis laudatorum varietas, quod nimirum ad Epidemiæ primariæ ingenium haud satis exacte attendatur. Res patet exemplo: Putridus a nuperis annis morbus late per Germaniam serpens indies manabat latius. Evacuantium generatim ferme stabilita fuit necessitas. Sæpius autem advertebam etiam in aliis morbis eo tempore frequentibus ac, ut puto, semiputridis mire atque magis ac alias prodesse evacuantia eaque iterato posci, quin pectoris morbos prorsus excipiam. Adverti non raro homines leviter duntaxat ægrotantes, mox acerbe corripi, si purgationem corporis neglexerant. Præ-

verte-

vertebantur itaque morbi, varii, ut videbantur, generis, ac tollebantur remediis evacuantibus, quin exinde vim adeo universalem curandi ac præservandi inposterum ab iis exspectare jure queas. Alia quippe alio tempore erit Epidemiæ conditio, alia medelæ ratio, atque in alio sita erit morborum affinitas. Hinc autem est, quod E. G. in Scarlatina, in variolis, morbillis &c. ab aliis celebrentur emetica aut purgantia, damnentur ab aliis, atque omnes interim experientiam testem provocent. Raro enimvero vel minimæ morborum affectiones, similitudines aut distantiæ acute satis sejunguntur.

Pauca quædam fortasse ad accuratiores Epidemiarum historias conferam, si, quæ ab annis quatuor Fuldæ designare licuit, fideliter impertiam, haud dubitans, quin acutius atque acrius visa circa idem argumentum suo tempore colligere poterim.

Sub finem anni 1770 equi, præprimis illi e stabulo aulico, morbo quodam putrido dire mulctabantur. Fere ad annum exitialis ista equorum ægrotatio continuata permanet, at-

que duntaxat Celsissimo Principi nostro fere quinquaginta enecat. Ignota nobis tunc Epidemia putrida cæteroquin apud nos fere serius irrepens. Equorum initio morbus ex sectione demortuorum male statutus fuit. Pulmones enim plerumque gangræna (forte vix prius ac versus mortem orta) vitiati postquam reperti fuêre, morbus peripnevmonicus, solaque sanguinis missione atque mediis refrigerantibus curandus erronee habebatur. Detegimus tandem humiditatem ac muci copiam in ore ægrotantium, abdomen inflatum, tensum, feces fluidiores fœtidissimas, inflata post mortem intestina atque materiæ flavæ vel biliosæ in iis redundantiam, sicque simul putredinis biliosæ indicia attegisse nos arbitrabamur. Opinioni huic favebat methodi curationis immutatæ eventus felicior. Purgantibus nempe ac antiputridis inposterum plures servati sunt. Circa annum quoque 1771 Ferarum genus eodem, ut puto, morbo plectebatur; præ cæteris strages earum gravior in Theriotrophio ampliſſimo Principis nostri notata fuit. Cæterum ovibus aliqui anni funesti erant. Nec avium gens immunis mansit. Anseres enim, ut memini, hinc inde suo decubuêre morbo,

morbo, atque inprimis phaſianorum multi in horto ſplendido prope Fuldam nutritorum morbo abſumebantur. Quosdam aperui morti proximos: turgebat Cyſtis bile flava tenui copioſiſſima, poros tranſiens atque tingens inteſtinum propinquum, quæ in demortuis propemodum tota, ſi venatori fides, effuſa fuerat. En morbi bilioſo-putridi argumentum! En morbos Epidemiæ putridæ humano deinceps generi infenſiſſimæ, nobis jamdum incognitæ, prænuncios!

Morbos adultorum tunc temporis vix ullos memini pernicioſos notabiliter. Infantes autem variolis ab hyeme ad æſtatem anni 1771 ſatis immaniter occubuêre. Variolarum vero morem vix rite ſcrutari poteram, cum prope non niſi infantes plebis decumberent, atque Ego ab Aprili ad Menſem Decembrim Aulam ſectans rure fuerim.

Adoritur interim ſub finem anni 1771 pedetentim patriam noſtram morbus putridus alibi jam generalior; progreditur autem, atque apud nos anno 1772 maxime notabilis fuit usque ad initium anni 1773, ubi demum

se lente subduxerat. Passim de morbo hocce putrido abunde disputatum est. Edideram quoque ad notitiam populi febris ejusdem brevem historiam atque curandi methodum. (*) Laudabam emetica, purgantia, acida & reliqua. Ortum putredinis tunc plerumque ex vegetabilium post pluvias vel tempestatis vicissitudines corruptela forsan non absque ratione suspicabar. De bubonibus simul seu tumoribus putridam comitantibus pauca narraveram. Cæterum iis, quæ ex historia Epidemiæ istius repeti possent, utpote sat notis, libenter supersedeo. Ad Epidemiæ igitur reliquias seu metamorphoses devenire conveniet.

Neque prius reticendum erit, infantes interim morbillis vexatos fuisse sat benignis, repetitas autem plerumque evacuationes exigentibus. Videbantur nonnunquam lenta post morbillos tabe consumi, uno mox vel altero purgante suscitati. Abdominis tumor, tensio, fecum fœtor id remedii mihi indicabant. Non raro post morbillos ophthalmia, tussis obsti-

nata,

(*) Medicinisches Bedenken, über das in Teutschland herrschende Faulfieber, Fuld, 1772.

nata, ac febris hectica ſecuta eſt: alii cruſtam aphthoſam in ore habuêre. Ineunte demum vere 1773 undique febribus intermittentibus tenebantur miſeri, quæ non niſi iteratis Saburræ fœtidæ evacuationibus ſubmoveri feliciter poterant. Nonne eadem putredo bilioſa mitior, quæ antea facta acerbior febres continuas putridas excitaverat, febrium nunc intermittentium fomes fuit? Repetendum porro, quod vix unquam in cæteris etiam ſporadicis ægritudinibus tam felicem evacuantium vim, ac hucusque expertus fuerim.

Altera nunc ſed deterior Epidemiæ putridæ Scena luditur! Sub Autumnum anni 1773 jamjam emergebat febris exanthematibus ſtipata, quam Scarlatinam dicunt, infeſta infantibus. Infantes nonnulli poſt febrem intumuerunt, aliqui abſceſſus infra aures, excoriationem chronicam quaſi impetiginoſam unus, hecticam ſeu tabem alii ferebant. Hecticæ febris metus poſt evacuantia plerumque diſparuit. Latebat hyeme morbus, anno verum 1774 Menſibus Februario & Martio audacter procedens malignior, atque artis medicæ opem non raro mire vincebat. Ex-

anthemata non ubique eadem erant, quandoque exiguą, cito evaneſcentia, ſubinde nulla. Qui veſiculas albas circa artus habebant, plerumque mitius decumbentes, cute deſquammata emergebant. Qui poſt Scarlatinam per plures ſeptimanas febriliter ac hectice affligebantur, nonniſi poſt repetitas purgationes, expulſis ſubinde vermibus, evaſerunt. Tumor quippe abdominis ac fecum fœtor nobis ſemper evacuantia urgere videbatur. Quidam, quos modo exponam ægrotantium caſus, quæ circa febris hujus, quam Scarlatinam putridam voco, hiſtoriam hic dicenda forent, compenſabunt.

Æque primo vere anni 1774. viri plerique catarrho vexabantur pertinaciter. Plures autem mulierum voce rauca ac fere prorſus extincta eo dirius mulctatæ fuerant, quo libentius exercitio vocis cæteroquin utuntur. Obſervabam in quibusdam ſponte ſucceſſiſſe diarrhæam, quæ levabat catarrhum, raucedinem. Immanius autem lædebantur aniculæ. Febris quædam remittens, intermittens, mali moris, eas ad mortem fere laceſſebat, cujus demum caſus quosdam notatos dabo.

Sicque

Sicque debilior generis humani pars, infantes ac vetulæ, exſpirante forſan Epidemia putrida acerbius ac cæteri afficiebantur. Adde, quod præterea ſub finem Maji & Julium menſem infantes demum ac adulti ex collo frequenter laborarent. Erat lingua tumens, veſiculis amplis ac puſtulis obſeſſa. Ad ſeri acris ac abundantis hiſtoriam id forte pertingere poterit.

Scarlatina, ſeu Putrida Infantum.

Casus I.

Menſe Februario 1774 puella nobili ſtirpe oriunda, texturæ ſubtilis, dentes ac loquendi facultatem ſero obtinens, nunc, cum quinque annorum erat, ſagaciſſima, agiliſſima, præmatura, tuſſi tandem ac ophthalmia ultra octiduum vexata fuit. Demum vomitio ac febris eam opprimit. Vomitus leni emetico urgebatur. Succeſſêre demum reliqua febrilia, calor, anxietas. Notabiliora ſymptomata fuêre ſitis modica, ſæpe nulla, ſopor conſtans, ac pertinax narium obſtructio. Dabatur Mixtura ſequens: ℞. Spir. Minder. Oxym. Scillit. Aq. Flor. Samb. ana Unc. ij. Syrup. Violar.

Violar. Unc. j. atque quandoque infuſum theatum, quod valde recuſabat. Tertio febris die copioſiſſimæ maculæ, quas Scarlatinas ajunt, in artubus confluunt, rariores ac vix conſpicuæ in thorace ac facie. Alvus ſegnior quotidie aperiebatur clyſmate, ubi feces eductæ fœtidiſſimæ. Facies ſubtumida non rubicunda nimis, ultimis morbi diebus pallidior. Aliquot in deglutitione impedimentum ſeu aliqua deglutiendi impotentia absque inflammationis ſignis notabatur, atque deglutienda ſæpe ad tuſſim aut vomendi conatum regurgitare videbantur. Nulla jam ſitis, oculis præprimis ſiniſtro ſemiclauſo fere toto die dormiebat: Non raro ſub febris vigore delira fuit, atque tunc magis caluit calore præprimis in extremis mordaci. Materia jam e naribus acris erodens, excorians, ſtillabat aſſiduo, quam abſtergi vix unquam conceſſit. Sæpius ſe in lecto curioſe erigens demum ac ſi oblita fuiſſet ac non inveniſſet, quod voluiſſet, procubuit. Tandem circa ſextum morbi diem mane remiſſiora ſymptomata, exanthemata pallidiora ac in ſquammulas ſecedere videbantur. Adhuc verſus meridiem morbus æque mitigatus habitus fuit, verum mox tumor

ſeu

ſeu bubo non calens, durus, nec in Scarlatina nobis antea viſus a parotide ad collum inſurgebat, quem, poſtquam cataplaſmata inutiliter adhibita fuêre, veſperi ſtertor fere circa laryngem notatus, caloris remiſſio, loquendi vis minor extincta ſenſim, anima frigida, ac reliqua peſſima ſequebantur. Dabam absque fructu Kermetem mineralem: atque veſicans ad nucham epidermidem non elevavit. Hinc ſeptimo morbi die mane ſæpius gargariſma injectum fuit. Aſt omnia in pejus ruebant. Veſicatorium collo ad revocandos tumores aufugos absque effectu circumpoſui. Pituitam tenacem ex naribus jam & ore propendentem vomitoriis repetitis, auctis doſi, excutere fruſtra conabar: nullus enim e ventriculo vomitus, ſed tantum quandoque lenis circa pharyngem vomendi niſus excitari potuit. Feces fœtidiſſimæ absque ſenſu effluunt. Sæpius ſe vertebat ac tollebat in lecto. Pallidior ſenſim ac frigidior fiebat, tandemque nocte fere media inopinato, cum lecto eximeretur, ſuffocata, convulſa, exſpiravit. Comparent mox in cadavere maculæ, vibices ac ſuffuſiones coloris violacei, lividi. Oculus ſiniſter plusquam ſemiapertus

perſti-

perſtitit, neque firmari potuit. Narrabant autem etiam reliquos ejusdem Patris, Matrum diverſarum, infantes quatuor jam ante annos mortuos, id quoque vitii poſt mortem habuiſſe.

Cadaveris truncum, non caput ornatui funebri ſervatum, aperire conceſſum fuit. Nihil in interioribus gangrænoſi aut inflammati reperire fuit. Aſperam arteriam dum premebam digito, in cadavere pituita ex ore propellebatur, ex ea autem diſſecta mucus ſeu pituita tenax effluxit, quæ porro e bronchiis preſſis protrudebatur. In pericardio multum aquæ fuerat. In auricula cordis dextra concrementum gelatinæ. Ventriculus ingens, diſtenſus, repletus aqua & muco quodam ad parietes viridiuſculo, veſicam bilis tangens, inde à bile exſudante extus tinctus fuit.

Teſtis adſtiti, dum alius Medicus puerum ex eodem morbo poſt tumores iſtos ſcrophuloſos colli ſuffocatum aperiret, atque in eo marginem pulmonum inferiorem ſeu extremum eorum gangræna circumdatum, inteſtina veſicæ bile turgida adjacentia flave tincta,

cæte-

cæterum hinc inde maculis gangrænosis nota-ta obſervavi.

Casus II.

Eadem, cum obiiſſet puella nobilis, hora adhucdum ſoror ejus minima, in eodem habitans cubiculo, vomitu, convulſione ac febre prehendebatur. Ego interim, & qui plerumque mecum erat Candidatus, nec non ancillarum duæ, atque mater illuſtris prolis, æque eodem ac altero poſt obitum puellæ die ægrotabamus febriliter. Colli interiora leviter accenſa ac oppleta pituitæ copia, ventriculus Saburra biliosa gravatus, fuerant. Interim nec reticeri decet, colli morbos etiam apud cæteros verno eo tempore fuiſſe haud inſolitos, præcipue apud eos, qui habitus erant laxioris. Atque menſibus deinceps Majo & Junio fere non niſi infantes ac feminæ ex collo ægrotabant. Aſt ſororis nunc minimæ morbus pingendus erit. Matre debili ac ſua afflictata invaletudine ante duos annos fuerat progenita. Caro ei erat laxa, mollis, ſpongioſe tumida. Ea adhuc nocte vomitui favere leniori emetico volui. Illico maculæ die primo ac ſequente mox in propatulo erant, mox

aufu-

aufugerant. Facies lurida, tumida, nares muco deinceps ut in ſorore effluente obſtipati, cerebrum ſopore preſſum, motus ac ſubſultus convulſivi mox in digitis, mox in capite, oculis &c. raro non conſpicui, ſtridor dentium, reſpiratio inæqualis ſæpiusque intermittens ut concuſſibus infantis revocaremus eam, oculi ſplendentes ſub ſomno ad dimidium aperti, reliquaque peſſima conſtanter adfuerant. Quandoque aliquem quaſi in pharynge ad vomendum impulſum quoque advertebamus. Nihil plane, non ſecus ac ſoror modo demortua, comedebat. Tumores iſtos duros albos circa collum mox habuerat, elapſos autem ante obitum, poſtquam Empl. dyach. cum gumm. appoſueram. Quinto jam morbi die frigida fuit, ut vix ulla arte membra calefieri poſſent. Reſpiratio intermiſit maxime. Excitavit moribundam Mixtura Quarini ex Spir. C. C. Eſſ. Caſtor. ana gtt. X. Aq. Fl. Til. Syrup. cort. aur. ana Unc. j. d. ſ. ſubinde cochleare ſemis. Nocte ac die ſequente eodem medicamine æque moribunda ſervata eſt. Altero autem, quippe ſexto morbi die, ſæpius, dum offerebamus potum, & avide bibit, a meridie vero lumbricus ex

ore

ore procedit mortis adventum horrens. Reſpiratio nunc anheloſa, pinnis narium enixa, anima frigida, ſtridor dentium, motus convulſivi, ac cætera perſeverabant; ac verſus veſperum leniter exſpiravit. Aliquis adſtantium poſt aliqua minuta demum vehementer fricans abdomen, pectus, unum adhuc clamorem altum ſuſcitavit. Manus verſus mortem calidæ atque in iis pulſus diutius ſubſtitiſſe videbatur. Propinquo jam obitu livor ſeu maculæ iſtæ violaceæ copioſe egredientes poſtea magis confluebant in cadavere. Oculique poſt obitum ad dimidium manebant aperti. Ambarum ſororum cadavera calebant die ſequente.

Casus III.

Sororis nunc tertiæ fatum exponendum eſſet, ſed eorum, quæ circa morbos quorundam aliorum infantum interim obſervaveram, pauca admiſcebo. Quidam Principis Conſiliarius infantes quinque eadem febre correptos doluit. Macularum in iis diverſa conditio: in uno copioſiores, in alio vix ullæ, prætereuntes cito in aliis. Febris autem in omnibus ſat fuit pertinax. Puer poſt mor-

bum per tres vel quatuor ſeptimanas indies tabe ſeu febri hectica magis confici videbatur; fere nihil comedens, ſicce tuſſiens, ſitiens, quotidie verſus veſperum febrem patiebatur immitem, debilis de die, atque lecto affixus, nec ſtare nec incedere valens. Dolorem in dextro hypochondrio à verme ibi hærente culpabat aſſiduo. Quater purgavi eum atque bis vel ſemel vomitum ſimul excitavi, feces enim ſemper nimis fœtidæ, atque abdomen tenſum erat. Tandem ultimo purgante ex radice Jalappæ Saccharo tritæ atque Syrupo, cum copioſis fecibus fœtidis lumbricus ingens excernebatur, & altero die puer poſt largum ſudorem convaluit, ita ut meridie e lecto proſiliret. Filiarum una poſt morbum ex neglecto regimine a capite ad calcem hydropica facta diureticis ac purgantibus curabatur. Altera procumbens graviſſime vomitoriis ac purgantibus cæterisque reſtituta fuit. Oris fœtor, pectoris ob mucum oppreſſio cum ſtertore, linguæ ac dentium impuritas ac alia vomitorii mihi plerumque erant indicia. Filiorum unus natu minimus a nativitate triſtis, habitus mollis, ſpongioſi, morbo abſumptus eſt. Illi narium obſtructio

ſtructio demumque materiei acris effluxio, ſopor, tumor faciei pallidus, ſudor ad radicem narium (qui quoque ſororibus ſupradictis communis) ſtertor, tumores circa collum quaſi ſcrophuloſi poſt uſum emplaſtri de Meliloto ſe recipientes, ac cætera, uti ſupra, peſſima fuerant. Emetico intra aliquot horas bis dato ſuffocationem prævertere conatus nullum movebam vomitum, ideoque à reliquo abſtinui medicamine, minus turbulentæ eum relinquens morti. Maculæ quoque poſt mortem lividæ in cadavere confluxêre. Ea autem nocte, quo puer fato obiit, ambæ ſorores in eodem cubiculo cubantes hucusque fere meliores valetudine, illico tumoribus iisdem circa collum atque nova morbi vi opprimuntur, veſicantia autem quamprimum ad tumores applicata ſerum aut lympham large educentia, ſiſtebant tumores, ac, ut arbitror, ſervabant ambas. Demum in altera adhuc puella e ſtirpe nobili febre de nocte ac ſequentibus ſtatim primo mane exanthematibus, deglutione difficili, triſtitia, debilitate, faciei tumore, atque mox eo jam die tumoribus circa collum infeſtata, pariter veſicantibus copioſe attrahentibus tumores eos,

exeſos deinceps ſuppuratione ſub febris vigore, ac forte puellæ vitam, retinui. Plerique præterea in urbe infantes ſibi absque medicamine relicti ab iis occiſi ſunt tumoribus aufugis. Notaveram quidem autumno prægreſſo quosdam in infantibus tumores pone parotides aut in collo ſuppuratos fuiſſe cum levamine; ſed male nunc, ſi morbus malignus fuit, hæc puris generatio tentata fuit. Multi infantum hectica poſt febrem Scarlatinam aut hydrope perierunt, paucis morbus malignus atque absque detrimento fuit.

Novi poſt Scarlatinam benigniſſimam infantem poſt aliquot Septimanas nova putridæ ſpecie occiſum, repetito forte purgante redimendum. Cæterum in iis, ubi vires extinctæ, convulſiones, ac hujusmodi ſymptomata aderant, elæoſaccharum moſchi, atque mixturam cum Spiritu cornu cervi, ut ſupra, porrigebam. Ad ciendos vomitus tartarus emeticus alvum ſimul evacuans præplacuit. Vidi poſt Scarlatinam mitiſſimam demum in artubus citra moleſtiam ſucceſſiſſe maculas mox deſquammatas ſecuto dein tumore abdominis ac tandem hydrope, licet poſt febrem purga-

purgatio non neglecta esset. Denuo evacuantibus ac diureticis hydropicus jam tollebatur morbus.

Casus IV.

Tertiam nunc sororum illustrium producimus. Pauca tamen circa ejus constitutionem præfari haud non conveniet. Nimirum texturæ ea ac prima sororum æque gracilis erat, quartum prope annum adepta nec articulate loqui valens, nec dentibus anterioribus in utraque maxilla omnibus instructa fuit; cæterum ægre plerumque respirans, tussiens, ac in brachio à primis incunabulis convulse mota fuit, quas contractiones spasmodicas demum fomentis aut balneis ex aqua vegeto-minerali jam ab annis aliquibus sustuleram, puella insuper pulcherrima, malitiosa autem erat atque ad iram proniſſima. Hæc, inquam, puella ab initio morbi sororis primæ evacuata fuit studio, cum sponte, æque ut sorores vomere inciperet, atque febre imperita videretur, ac postea denuo errore ancillæ emeticum hausit, atque sub morbo sororis minimæ in alienis servabatur ædibus. Præterea levibus tunc temporis absque febre ma-

culis aliquando per dies quosdam notata fuerat. Jam autem nono Martii, poſtquam per aliquos dies languens, infirma, ac animo commotiori irata fuerat, febre cum unico vomitu corripitur. Decimo ejusdem a prandio ad ægram vocatus fui. Facies jamdum erat tumida, tumoresque, in uno præprimis colli latere, duri, indolentes ac adeo abominati aderant. Advertebam præterea ſoporem, alvum nullam, ſitim nullam, oculos ſub ſomno ſemiclauſos, faciem pallidam, ſubſultus in manibus ac digitis, pectus raucum, calorem ut in ſororibus manuum urentem brachiis & genis fere frigidis. Potum præbui ex acidis, atque ad tumores colli veſicantia appoſui, quæ copioſe ſerum attrahentes diuque moventes ſuppurationem, tumores poſt morbi finem in minores ac plures diviſos, demumque evaneſcentes, retinuerunt. Enemate primo absque effectu dato ingerebatur alterum minus copioſum, quod ter vel quater de nocte alvum moverat. Circa veſperum ac noctem quandoque infans ſtridebat dentibus, ac non niſi album oculorum ſubinde oſtenderat. Feces nondum, ſi ancillis fides, nimis fœtidæ.

Mane

Mane mitiora nonnihil cernebantur ſymptomata. Sopor minor ac caput minus tumidum fuerat. Sitis aliqua aderat. Circa nares ac genitalia ſudor quidam conſpicuus. Interim gravius rurſus puella poſt meridiem procumbere, ſenſimque ſopor, ægritudo ac ad iram incitatio, reliquaque mala augeri videbantur. Sitis minor erat, pallida ac frigida fere fuit facies, quandoque tantum fugax calor ac rubor exiguus genas prætervolavit. Calidæ ut fere per totum morbi curſum, manus, brachiis fere frigidis. Lingua veſperi volubiliſſima fuit, ac ſubinde puella quaſi catalepſi tacta jacuit. Aliquoties de nocte camphoram ac moſchum accepit, atque ſemel clyſtere alvus eluebatur. Semel de nocte ſponte vomuerat.

Undecimo Martii die mane fere eadem ac pridie fuerant. Aliquoties vinum aqua miſtum hauſit; inde forte genarum levis rubor, ita ut ſparſæ huc illuc maculæ egredi viderentur; inde aliqua ſitis animadverſio. Digiti interim ac manus dormientis fere aſſiduo ſubſultim tollebantur. Veſperi aliquoties alvum reddiderat. Præſcriptus autem antea

clyſter ex aqua, melle, & camphoræ cum gummi arabico tritæ granis ſex, porro injectus fuit. Oculos dein nocte ſequente melius clauſos fuiſſe ancillæ tuebantur.

Duodecimo Martii nullas prodituras eſſe maculas palam fuit. Nulla urgebat ſitis. Vox, forſan ob clamores malitioſiſſimos, rauca fuit. Caput circa marginem capillorum ſudore maduit. Pedes nonnunquam ac manus ſubſultim movebantur. Potum hucusque acidum præhabens ab illo nunc abhorruit. Ob pectoris aſperitatem ſubin ei offerebatur linctus ex oxymelle ſcillitico cum duplo ſyrupi capillaris. Quandoque etiam Mixtura cum camphora & moſcho obtrudebatur. Cum abdomen tenſum de die nulla levaretur alvo, ſub veſperam enema ut pridie datum fuit. Præterea autem de die jam fugax ſubinde genarum rubor notabatur, ac vehementiores aliquoties convulſiones epilepticarum inſtar.

Decimo tertio mane facies notabilius tumida erat. Odorem cadaveris hoc die plures ex infante percepiſſe ſe aſſerebant. Adde,

quod

quod pediculus aliquis capillorum, ut videbatur, ſolitarius incola, nidum deferens, faciem obambulaverit, & facile erit conjectura aſſequi, quam aſſuranter omnes mortem puellæ augurati ſint. Verum temere hæcce infauſta prænunciata fuerant. Dum enimvero putridus ex ore exhalaret fœtor, parum tartari emetici aqua diluti præbui, unde quaſi corpuſcula ex putredine & pituita compacta binis vomitibus ejecta fuerunt, atque ſemel alvus feceſſit fœtidiſſima. Tumor faciei poſthæc, uti plerumque a prandio ſoluit, parumper ſubſidebat, nec ſpaſmorum ſive convulſionum motus eo veſpere aderant. Minuebatur tuſſis, atque dum frigore artuum quandoque adſtantes terrere inciperet, mixtura ſupradicta ex Spiritu Cornu cervi, eſſentia caſtorei & reliquis, exanimem rurſus incitavit.

Decimo quarto pauca comedit, quæ cibis hucusque prorſus abſtinuerat. Diminutus equidem paulum oris fœtor, cæterumque ægræ nonnihil meliuscule eſſe videbatur: tartaro tamen emetico aqua ſoluto rurſus tres vomitus, quin alvus reſponderet, provocabam. Enema bis injectum non ſollicitavit al-

vum, nec fuit redditum. Tenſo interim ac tumido abdomini denuo clyſter injiciebatur, qui ex melle, aqua, & tartaro emetico fuit compoſitus, atque ille retenta prius enemata cum fecibus fœtidis prodire coegit. Poſthæc, dum laxa ideoque minus contractilia forte inteſtina ſuſpicabar, veſperi clyſma ex drachmis duabus corticis peruviani atque melle præſcripſi, quod morans per noctem mane fœtidiſſima putrida cum copioſa pituita ſeu muco miſta educebat.

Decimo quinto faciei tumor adhucdum perſtitit. Parum radicis Jalappæ incaſſum dedi. Nihil guſtabat ciborum. Mixturam excitantem ex Spiritu Cornu cervi ac reliquis plerumque continuaverat. Et quia difficile fuit tot infanti obtrudere quotidie medicamina, clyſteres, ut medeatur convulſionibus, fere ejusmodi, ex moſcho quippe & camphora, addito nonnunquam cortice peruviano fuerunt exhibiti.

Decimo ſexto ejusmodi clyſteres plures injiciebantur. Eduxêre ii ſemper aliquid fecum ac pituitæ. Motus convulſivi jam fere nulli aderant. Deci-

Decimo ſeptimo mane grana ſeptem radicis Jalappæ binas ſedes copioſas produxêre. Dabatur demum clyſma. Meliore paulum fruebatur valetudine, atque parum cibi appetebat.

Decimo octavo & nono mane, ut antea, facies tumebat pallide ac velut ex ſero. Sæpius hiſce diebus nonnihil cibi hauſit, atque cæterum mens ei videbatur eſſe ſerenior. Dati hucusque clyſteres antiſpasmodici ac roborantes ſemper pituitam eduxêre. Veſperi interim vix non ſemper ægrior facta eſt.

Vigeſimo fere quendam calorem, ruborem ac ſitim obſervaveram. Hinc a prandio oxymel ſimplex cum Syrupo roſarum ſolutivo ſubinde, atque clyſterem ex aqua & oxymelle ſimplici liberaliter evacuantem implora-vi. Nocte autem prægreſſa benigne dormiverat. Nec absque omni appetentia capiebat cibos.

Vigeſimum itaque primum Martii diem fauſte attigimus. Cum autem hucusque abdomen tenſum fere ſemper, ſeu tumidum de-

pre-

prehenſum fuit, grana novem radicis Jalappæ Saccharo tritæ ac Syrupo miſtæ fuêre exhibita, & trina exinde largiter dejectione exoneravit alvum. Fœtebant immaniter feces, ac quaſi filis pituitæ miſtæ fuerant. Atque ſic ſub veſperam febris fere abfuit. Mutataque jam fecum conſiſtentia ac color. Perſtitit fœtor, hincque Syrupo roſarum & oxymelle ſimplici alvum laxiorem ſervare ſtudebam.

Tenui nunc quidem Puella diebus ſequentibus ac ſenſim integriore indies frui valetudine videbatur. Interim neque tam omnino jamdum a morbo confirmata fuit, quin omni mane tumor faciei pallidus, tumor non raro abdominis repetitis expugnandus purgantibus, ac quædam quandoque ægritudo notata fuerint. Diætam tandem magis reficientem, abdominis frictiones, vinum cæteraque ſuaſi excitantia. Tumores colli infra aures hucusque a veſicatoriorum efficacia ac emplaſtro dein albo cocto cum puris effluxu detenti, finita nunc poſt febrem ſuppuratione, emplaſtro de Meliloto tegebantur, atque in plures ita minores tumores ſeu nodulos fatiſcentes ſenſim benigne, ut imponebant malitioſe, evanuêre.

Aſt

Aſt non ita res penitus e voto ceſſit. Puella alacrior jam, omni autem mane facie tumens, ludis operam dans, illico feſtinat ad lectum, ibique mire convellitur, retrahit pedes, moventur artus, corpus, tumet ac ininflatur facies rubeſcens tandem dum ceſſaturi motus: immoti fere hærent oculi, vox ſuppreſſa, donec lente cum clamore quodam paroxyſmus defatigatam dimiſerit nullam. Bis, ter, non raro quinquies de die hæc ſcena luditur. Non fuerant frequentiores inſultus die, quo alvus medicamine levata fuit. Moſchus jam, Spiritus Cornu cervi, vinum dulce meracum, cæteraque roborantia fere incaſſum tentata fuerant. Tribus aut quatuor poſt morbum ſeptimanis triſtes hæ reſtabant morbi reliquiæ. Ex capite abradebantur capilli atque ſinapiſmus, nec non ſacculi ex herbis facti aromaticis circumponebantur. Nonnunquam, dum tumebat abdomen, medicamen purgans fuit exhibitum. Tandem mitigatus lente poſt menſes elixirio acido ac balneis frigidis convulſionum morbus, quem ab improba tumorum illorum jam effrenorum malignitate fortaſſe non absque jure repetebam.

Casus V.

Puer quatuor annorum febre decumbit graviter. Nihil per decem vel duodecim dies comedit. Primo morbi die chirurgus guttulas emeticas ex infuſo vitri antimonii & aromatibus, ut ſupra dictum eſt. Diræ poſt aliquot vomitus convulſiones ingruunt. Cæterum proſtratus morbo puer nihil, ut clamabat quæſitus, niſi acerbum in abdomine dolorem, quem a vermibus derivabant parentes, ſuſtinuit. Oppreſſum interim pectus pituitæ, atque agitatum tuſſi, ad quæ oxymel ſcilliticum cum Syrupo atque aliquoties Kermetem mineralem exhibui. Ad moderandam febrem oxymel ſimplex cum Rob Sambuci, non neglectis enematibus, ſelectum fuit. Capitis dolorem non raro accuſans ad ſuras ac plantas pedum ſinapiſmos habuit, qui nec in cæteris infantibus hucusque omiſſi fuerant. Poſtquam autem poſt tertium quartumve morbi diem nulla prodire exanthemata adverterem, quamprimum purgantibus morbum aggreſſus ſui, unde mitiora illico potius, quam acriora reddebantur ventris tormina, repetitis autem iis ter quaterve, educto demum ex inteſtinis acri putrido, evanuêre.

Ali-

Aliquando insignis ex ore fœtor, muci in lingua copia, ac nausea seu conatus vomendi ad usum tartari emetici me satis feliciter determinabant.

Rursus hic notari velim, quod in hujusmodi infantibus, quorum adhuc aliqui curæ meæ commissi fuerant, post secundum raro, post tertium quartumve frequentius remedium purgans, morbus utpote sufficienter jam oppugnatus celeri fuga, quasi ultimo conflictu, se mire proripuerit, ita ut altero vel eodem protinus die nulla febris, exigua fere aut diminuta valde virium prostratio, atque corporis ægritudo, relicta fuerint.

Alter duorum annorum puer eodem morbo decubuit. Frustra per tres vel quatuor dies in corpore quæsivimus exanthemata. Purgantibus abigebatur febris, relinquens ingentem pone aures abscessum, qui cultro demum aperiendus fuit. Idem in infante paucorum mensium, circa abscessum retro aures, habui experimentum. Nec non infantes alii febre quadam putrida absque maculis Scarlatinis procubuêre.

Filia

Filia mea annorum quatuor & dimidii vividiſſima, ad calores à prima nativitate proniſſima, fere quoties aliorum infantes maligne affectos curabam medicamine, frequentiusque adii, aliquam contagii pœnam luere videbatur. Corripiebâtur febre, calore ſummo, dolore capitis, artuum, ſecuta aliquando circa genua levi anchyloſi, mox nauſea, vomitu, aut tumore abdominis, fecibus fœtore abominabilibus copioſis, ac reliquis immaniter vexata fuit. Refrigerantibus itaque acidis, purgantibus, clyſteribus & hujusmodi remediis fere ſexies reſtituenda erat. Semel aut bis lumbricus ano ejectus fuerat. Aliquoties quidem ſtygmata rubra proditura per pauca minuta videbantur. Vidimus econtra adultos ab infantum contagio maculis Scarlatinis, in nonnullis corporis partibus, cum vel absque ægritudine fuiſſe affectos.

Casus VI.

Puer Satu nobili editus, a matre tum cachectica eam infirmitatem valetudinis contraxerat, ut tempore, quo alii infantes ſolent, necdum incedere, nec caput elatum tenere potuerit, valetudinis imbecillitate impeditus.

Laxa

Laxa nimirum hærere ligamenta, artus, muſculi, ac reliqua laxe pendula videbantur. Quin etiam ob has cauſas vertebræ dorſi cedere ac protrudi inciperent. Quocirca rebus agitatis exterius aqua frigida, frictiones, atque congrua ligamina, interne ferrum & alia non absque fructu adhibebantur. Fuit autem illud præterea in puero ſingulare ac odioſum, quod genitalia ejus jam a primis annis miro morbo immerite lacerarentur. Poſt annum a nativitate unum, aut alterum fere, morbus iſte ab ancillis primo fuit propoſitus. Erexerat nimirum puer nonnunquam per dies quosdam non absque voluptate penem ad erectiones proniſſimum. Tandem vero erectio iſta violenta magis ac priapiſmo ſimilior erat, ita ut genua componeret, dum lecto procumberet, aut dum ſederet in ſella. Ambulans autem clauſit illico genua complicata cum fulcimentum quoddam, ſellam aut parietem, attingere potuiſſet. Senſim voluptatem exceperat dolor, atque dira inflammatio cruciabat genitalia, ubi mox pedes ac genua dimiſit divaricata. Succurrebant tunc cataplaſmata ac reliqua. Plerumque poſt menſem unum aut alterum rediit

morbus, ultimis tandem annis rarior factus. Atque malo futuro non raro, ut putavimus, medicamine purgante ac roborante martiali occurſum fuit. Nulla unquam detecta fuit vermium præſentia, ad quam ante conjectura forte aliqua duci facile fuiſſet. Cæterum adflictus quandoque adverſa valetudine, nec non aliquoties ex improviſo, convulſionibus facile prolabebatur.

Poſt annum ætatis tertium febre putrida immaniter procubuit. Ad quindecimum morbi diem in anguſto ſpes erat. Stertebat fere lethaliter, ſuffocatione a Kermete minerali per plures dies forte prohibita. Sordes ex ore & ventriculo excutere emetico fruſtra conabar. Plura tartari emetici grana nihil effecerant, quanquam granum ejusdem dimidium ab initio morbi datum ſufficienter evacuaverit. Urgebam medicamine, quo magis vitæ periculum nos premere viſum fuit, gravioribus quippe morbis curationes quandoque audaciores adhibendas ratus. Liquoris tandem emetici copia non ſine momentaneo levamine pituitæ corruptæ fecit vomitus. Convaluit itaque puer Scarlatinæ malignitate poſt annum occidendus.

Reſtant

Reſtant adhuc quædam circa pueri conditionem advertenda. Celeriter increvit corpus. Sed mollis, alba ac valde tenuis ei cutis fuerat, venæque circa frontem ac alibi nimis transparentes; oculi lacrymas fundebant facile, ſæpiusque ſaltando vel currendo concidebat. Præterea vix audita excellentis ingenii magnitudine, animique ſentientiſſimi manſuetudine ac probitate ornatus fuerat. Sexus autem amorem, oſcula ac lenocinia quam ardenter ac præmature concupiverit, vix viri credent.

Puer iſte, inquam, non vulgaris, ut dixi, indolis, trinis illis, de quibus ſupra, ſororibus ſanguine junctus, jam cum annum quartum ac dimidium exceſſiſſet, bis a menſe uno aut altero adverſa valetudine adflictus fuit. Prima vice inſignis de nocte raucedo, tuſſis ac pectoris anguſtia eum fere ſuffocaverant. Decocta pectoralia, Kermes mineralis, mucilaginoſa, ac tandem emeſis ſuccurrerant. Quadam poſthæc febricula corripitur, quæ demum poſt evacuantia ſublata fuit. Nunc autem die vigeſimo quinto Martii, anni 1774, poſt prandium, cum deambulatum iviſſet, malignæ iſtius febris præludiis primo adfectus

fuit. Vires effluxiſſe laſſitudine videbantur. Veſperi autem manifeſtiores febris inſolentias expertus fuit. Horruit, friguit, ſecuto quodam calore. Pedes erant frigidi. Admovebantur pediluvia, clyſter, diæta.

Die vigeſimo ſexto menſis ejusdem mane radicis Jalappæ Saccharo tritæ grana novem cum quarta grani parte Tartari emetici ac Syrupo porrigebantur, quæ unicum ciebant vomitum. Dabantur porro plura cochlearia Syrupi roſarum ſolutivi cum oxymelle ſimplici, atque enema, ad quæ nil niſi pituitam quandam binis vomitionibus ejecerat. A prandio demum radicis Jalappæ grana ſeptem obtrudi, atque inde quater forte alvum reddidit inſigniter fœtidum. Eam vero evacuationem tunc haud copioſiorem fuiſſe adhucdum lugeo. Exemtus lecto puer de doloribus mox coxarum, mox lumborum, vel fere ubicunque tangeretur, querebatur. A cibis prorſus abſtinuit. In collo mox ac facie tumor, in capite ſopor ac ſtupor quidam, in manubus calor urens, in naribus obſtipatio, in oculis ac tendinibus motus ac ſubſultus convulſionum prænuncii, notabantur. Dabatur denuo

clyſter

clyſter veſperi, qui calorem ac reſpirationis vehementiam mitigaſſe videbatur. Pro potu per noctem aquam dedi miſtam Syrupo violarum & Spiritu acido vitrioli. Sitis nocte non erat exigua. Mane potu acidulo ſepoſito nonnihil emulſionis amygdalarum bibit. Flatibus inteſtina nocte agitata fuerant.

Vigeſimo ſeptimo, poſtquam mane ad exonerandam alvum ſellam adferri juſſerat, immitibus convulſionibus cum rigiditate corporis, pectorisque ſtertore ſuffocationem minitante, barbare concutebatur. Inſtillavimus ei liquorem anodynum Hoffmanni ac Spiritum cornu cervi. Demum mixturam ex Spiritus cornu cervi & Eſſentiæ caſtorei ana guttis decem, cum Syrupi corticum aurantiorum atque aquæ florum Tiliæ ana Uncia una cum ſemiſſe, ordinaveram. Redibat poſt quadrantem horæ convulſio pectus ac abdomen valide premens, concutiensque, mixturæ autem hujus cochleari mitigata. Summo mane jam ante convulſionum aggreſſionem in dextra colli parte ſubſultus haud exigui cernebantur. Convulſionum paroxyſmo liberatus aliquoties flatus dimiſit cum ſtrepitu, ſed & notuli ſeu tubercula

parva dura, ſenſim majora ac copioſiora facta, in ea colli parte tangebantur, ajebatque puer ſe ex collo dolere; nec non leviter ſudore digeri cum aliqua faciei de tumeſcentia æger videbatur. Aliquot a convulſione horis urinam ægre extorſit pallidam. Interim omni hora parum Sacchari moſchati, ex Moſchi granis quator & ſacchari uncia dimidia, cum lacte datum erat. Veſicans autem hora prima pomeridiana tuberculis iſtis ſuperpoſitum, ob nimios fletus poſt quatuor horas ablatum fuit, ubi rubra cutis reperta fuit cum exigua veſicula, quæ poſtea appoſito emplaſtro albo cocto cum butyro altius tollebatur. Poſt prandium copioſas ſub cuticula maculas Scarlatinas vidi, hinc inde manifeſtiores, præcipue circa manus, digitos, crura, pectus, obſcuriores, luridas, ac vix conſpicuas in facie. Nonnullibi in veſiculas elevatæ videbantur. Sitis, quæ mane eximia fuerat, a prandio mitior ac fere nulla fuerat. Pro potu autem obtinuit aquam, juſculum nonnunquam tenuiſſimum cum ſucco citri, nec non emulſionem. Fruſtula quædam carnis citri Saccharo conſperſæ abſumpſerat. Ad ſuras pedum veſperi ſinapiſmi alligabantur. Præterea oculi circa

ca veſperum ſubtumidi, palpebræ intus nonnihil rubicundiores, facies, quæ mane & pridie rubra magis, nunc pallida tumens, mucus tenuis e naribus profluens intus erodens nares, in ore ſeu buccis internis veſiculæ Melle roſarum & Spiritu ſalis marini abſtergendæ, ſopor ac ſomnus cum pectoris ſtertore, & reliqua hujusmodi notabantur ſymptomata. Cumque circa alterum adhuc colli latus quædam detegerem tubercula, & ibi quoque hora decima veſpertina veſicans affixi, neque aliud ullum ad retinendam tumorum nequitiam poſſe haberi perfugium exiſtimaveram. Notandum autem hucce venit peculiare illud ægro, ut puto, æque funeſtum, quod binæ in puero veſicæ ſero emiſſo mox ſiccarentur, quin ulla puris confectio, alias ſolennis, ſecuta fuerit. Aliquando emplaſtrum cantharidibus miſtum adhæſi, quod quidem rurſus veſiculas, ſiccatas mox, dum aperirentur, non vero puris præparationem, nec ulteriorem ſeri proventum ſollicitavit. Veſicantis interim effectu id obtinuimus, ut plura mox ac inſigniora tubercula, in unum vel aliquos tumores duros, albos, indolentes, confluentia adtraherentur.

Vigeſimo octavo noctem, forſan ob emplaſtri veſicantis cruciatus, inquietam fuiſſe percepi. Motus aliquoties eum convulſivi infeſtabant, quos mixtura ex Spiritu cornu cervi compeſcuit. Biberat multum, poſt mediam noctem ſponte poſcens aquam cum Syrupo & Spiritu acido. Sitis autem mane ſenſim minor erat, quandoque nulla. Tempore quoque matutino urinam nunc exprimere irrito plerumque tentavit conatu. Oculis dormiebat ad dimidium clauſis, ſplendentibus. Reſpiratio inæqualis non raro ſubſiſtere videbatur. Linguam mane ſiccam, immundam, reperii. Cutis de nocte plerumque maduiſſe dicebatur. Injiciebatur enema ex infuſo florum Tiliæ cum melle, quod ultra quadrantem horæ cum retinuerat, prodiit tandem absque fecum connubio. Adverti plerumque delirare evigilantem. Ob reſpirationis autem ſimul vitium nonnunquam quid ſulfuris antimonii cum Syrupo, Oxymelle ſcillitico & Stibio diaphoretico non abluto, porrigebam. Cumque delirium evigilantis exiſtimaram nonnihil vividius, dabam ſalis ſedativi Hombergii grana ſex, atque epiſpaſtica ad ſuras adhibui. Alvum vero

cum

cum reddere fruſtra ſemper allaboraret, clyſter dabatur, cui addita Mellis & electuarii lenitivi ana Uncia dimidia, quin tamen fecum ſequeretur evacuatio.

Verum obſervavimus perterriti circa horam ſeptimam matutinam, quod adſtantium nullum noſceret, atque deglutitionis præterea quoddam vidimus impedimentum, dum infuſum florum Tiliæ cum pauco lacte præberetur, ad quod ſingultus oriri inceperat, mixtura ſupradicta ex Spiritu cornu cervi ad modum Quarini, ac cæteris quamprimum compeſcitus.

Symptomata præterea notabam ſequentia: Acris erat in manubus calor, in brachiis fere nullus. Valide ſæpe tollebantur carotides. Lingua plerumque ſicca, abdomen tenſum, irritus ad reddendam alvum ſtimulus. Genæ mox erant calidiores, mox minus tales, facies tumida, pallida, collum tumidum, tumentes palpebræ. Caput quandoque dolore affectum fuit, fere ſemper premebatur ſomno. Nares mane obſtructi erant, vapor autem aquæ & aceti denuo provocavit humoris acris

nares erodentis ſtillicidium. Vidi reſpirare puerum cum quodam in pectore obſtaculo atque cum tremore capitis ac pectoris. Inſignis eum compreſſerat debilitas. Maculæ in extremis erant parvæ, rotundæ ac fere miliares, pallidiores, in facie vix conſpicuæ, rubicundiores adhuc & ampliores in clunibus.

Poſcenti ac ſumme debili conceſſi vinum cum aqua, atque iſtud nonnihil profuiſſe credidi; inde enim delirium minutum, cum evigilaret porro, ac fere nullum fuit, rediitque facultas homines diſtinguendi. Dum leniores convulſionum motus huc illuc vagarentur, ſaccharum cum moſcho atque mixtura ſæpius dicta excitans dabatur, ad quæ rubor quidam redire, motusque ſpasmodici remittere videbantur.

Aſt ſenſim nec urinam nec alvum mittere potuit. Inſenſibilitatem ſive atoniam quandam inteſtinorum arguens, clyſma dedi ex corticis peruviani drachmis duabus, Moſchi & camphoræ gummi arabico tritorum granis quatuor, atque melle & aqua, ſed æque nihil eduxerat. Dabantur clyſteres quidam acuati

ſali-

ſalibus, demum alter excitans, ut modo dictus, atque ſic præter copioſos flatus bis parum fecum fœtidiſſimarum adtractum fuit. Urinam epiſpaſtico ad regionem veſicæ appoſito fruſtra ſollicitabam. Cataplaſmatibus demum emollientibus, cum cepis, applicatis, oleoque amygdalarum dulcium in urethram injecto parum urinæ provocabatur. Quæ autem cum rurſus negligerentur nocte ſequente, neque urina tum ejecta eſt.

Cæterum cum a prandio notabiliorem quendam calorem notarem, vinum aquâ dilutum ſepoſui, potiusque potum acidum ſelegi. Repetam generaliter: Si evigilans delirabat vividius, ſi vox præceps erat, acida, quandoque Salis ſedativi grana ſex, ac nonnunquam mixturam ex Spiritu Mindereri, oxymelle ſcillitico, ſyrupo & aqua, dabam, atque epiſpaſtica ad plantas aut ſuras pedum apponi juſſi. Reſpirationis vitio, nec non exanthematum retroceſſui mixtura cum ſulfure antimonii, debilitati & convulſioni mixtura cum Spiritu cornu cervi, haud parum opitulabantur.

Reſpira-

Reſpiratio cum labore peracta ita ſæpe intermiſit, ut concuſſibus adſtantium reſuſcitari debuerit. Obſervavi autem eo æqualiorem eſſe reſpirationem, quo magis caleret æger.

Vigeſimo nono Martii. Aliquoties hac nocte ſolvit alvum fœtidiſſimam. Semel cochleare hauſit emulſionis camphoratæ, quæ & de die aliquoties offerebatur. Maculæ jam in facie ac artubus pallidæ fere evanuerant. Lingua aſpera, ſed minus ſicca. Vultus tumidus pallebat. Lingua verſus meridiem titubans injectionibus nonnihil expediebatur. Alvus fluxa cum quodam tenesmo excrementa ovis coctis conciſis non abſimilia fœtidiſſima præſtitit. Reſpiratio inæqualis, anxia, ſæpe ſubſtitit. Tendines a diebus quibusdam ſæpius ſubſiliebant. Poſt injectiones oris frequentiores vox ſemper minus hæſit, aliquisque mucus luridus eluebatur. Nigræ ad radicem dentium maculæ cernebantur. Urina non niſi poſt cataplaſmata oleique injectiones parce prodiit. Mens quandoque ſerenior, quandoque obnubilata magis. Sitis, calor, pulſus, æque parum habuêre conſtantiæ. Inquietus ſæpe cubilium varietatem cum impetu

petu poſcebat, ſeque in profundum cadere alte clamabat. Rubri hinc inde vibices artus occupabant. Ceſſavit diarrhæa verſus prandium.

Remedia fere eadem adhibita fuêre, quæ pridie. Præterea quandoque decoćto corticis peruviani cum radice Serpentariæ virginianæ & cæteris, auctore *Pringle*, utebamur; colloque epiſpaſticum circumpoſuimus. Quanquam medicamina quælibet vi morbi vinci nobis haud poterat eſſe obſcurum.

Trigeſimum jam Martii diem ægre ſupervixerat. Extremo nox plena diſcrimine. Reſpiratio intermittens quandoque fere nulla. Nonnunquam frigere lethaliter corpus videbatur, demum poſt mediam noctem calens leniter maduit. Bis alvum fœtidiſſimam depoſuit. Decoctum panis cum Rob Sambuci, atque potum acidum ad ſitim de nocte obtulerant, nec non reſpirationis vitium ſulfure antimonii corrigere, viresque emulſione camphorata incitare conati fuêre.

Mane vidi ægrum ſopore preſſum, ac vix

ad

ad dimidium aperta lumina lippitudine affecta, albugine parum rubente: Inquietus erat atque poſt horam octavam nonnihil ex ſopore rediit, mente ſubin ſereniore, loquens titubante voce. Collum ſat tumidum erat, capiteque retroflexo reſpiratio peracta fuit. Ex ore fœtor. Remedia erant injectiones faucium ex decocto Rutæ, Scordii cum ſale ammoniaco & reliquis. Succus citri, ac verſus meridiem decoctum corticis & florum Chamomillæ cum ſpiritu acido. Poſtea in reſpirationis ſubſidium emplaſtrum veſicatorium ad nuchas ponebatur.

Verſus meridiem animam egiſſe videbatur, frictione autem & Spiritu cornu cervi revocatus fuit. Aliquoties poſt meridiem feces absque ſenſu dimiſit. Verſus veſperum ægrotus fere paulo meliuſculus eſſe cœperat.

Trigeſimi autem primi nox æque mala, inquietudine transvoluta fuit. Nec alvus nec urina ſeceſſerant. Stertor in pectore æque funeſtus. Mane aliquoties deglutiverat, quæ ad eluendas fauces injecta erant. Monebar aſſiduo ægri ſuffocationem non ſecus ac anno

elapſo

elapſo vomitu ut præpedirem. Dabam mane granum medium tartari emetici, trina poſt hoc dejectio alvina fœtida, vomitio nulla. Urgebant propinqui uberiorem emeticorum uſum, cum eandem, ut ante annum ab iis in malo ancipiti opem exſpectari jure poſſe exiſtimarent. Me primum obtemperante demumque reluctante plura Tartari emetici grana, largiorque liquoris emetici doſis ingerebantur. Notaveram enim mori eos, in quibus repetita emetici doſis nihil effecerat. Atque hic nihil præter binos quaſi ex pharynge duntaxat aut æſophago vomendi conatus cum parca pituitæ ejectione ac frequentibus ructibus, anxiamque præterea corporis jactationem obſervare poteram.

Cæterum ſæpius hucusque ſemimortuus Spiritu cornu cervi ac liquore anodyno, largius forte, ac par erat, ingeſtis reſuſcitabatur. Tumor faciei ſubin ſubſederat. Collo circum tumido applicabant cataplaſma, ad quod prorſus evanuerat omnis intumeſcentia, tumoribus reliquis ſcrophuloſis circa collum aufugis. Reſpiratio difficilior erat, fœtorque ægri inſignior. Tandem nocte verſus undecimam

cimam dire convulsus animam post horæ quadrantem exhalavit Familiæ illustrissimæ hæres unicus.

Corpus, quod ante obitum frigidum fuit, illico post obitum caluit, maculisque colorem violarum ferentibus suffundebatur. Oculi, præprimis siniſter, post mortem hærebant semiaperti.

Demortui jam corpus incidere, ejusque viscera atque intestina scrutari mihi curæ habui. Decem itaque post obitum horis, primo Aprilis die, id negotii suscepimus. Corporis truncum adhucdum tepidum, abdomen valde tumens, oculos semiapertos, nullaque circa collum intumescentiæ neque tumorum quasi scrophulosorum vestigia reperimus.

Præcidebatur calvaria. Cerebrum, cum cerebello, ingens & molle erat, leviterque pressum quodam aquæ sudore manavit. Sinus duræ matris atro turgebat sanguine. Ventriculi aqua repleti erant, ita ut aliquot e cerebro aquæ uncias habere potuissem. Demum aqua ista, dum supra ignem in vapores

solvere-

ſolveretur, turpiter fœtuit, non cogenda igne; nec quidquam ac parum terræ a coctione reliquum fuit. In pericardio atque infra pleuram aqua fuit. Dextra cordis auricula ampla erat, atroque plena ſanguine.

In collo nulla nec inflammationis, nec gangrænæ, nec tumorum indicia, cute ablata, cernebantur. In aſpera arteria parum pituitæ albæ contentum fuit. Ex æſophago autem materies quædam viſcida, ſubviridis, corrupta prodiit, cujusmodi quoque in ventriculo, præter aquam, hæſit, ac qualis fere poſt injectiones in fauces factas proliciebatur. Ventriculus turgebat inſigniter; ſiniſtra vero ventriculi regio, brunoviridis, ſphaceloque tabida fuit, ita ut rumperetur, dum orificiis ligatis eum eximere volui; in dextra tamen ventriculi regione uti & in æſophago nec inflammationis nec gangrænæ notæ detegebantur. Lienis autem vicinia dextræ ventriculi regioni ſuccumbens nonnihil inde infecta ac corrupta fuit. Inteſtina craſſa vacua, alba, mireque expanſa erant aere. Non ſic inteſtina tenuia. Materies in hiſce quædam fecum lurida, ac quædam venarum turgeſcentia mihi comparuit.

Nulla fere in pulmonibus ac hepate labes notari potuit, nisi quod in superficie concava lobi majoris hepatici incisuræ quædam triangulares, communi hepatis membrana ut reliqua hepatis substantia obductæ invenirentur. Videbantur eæ a natura inflictæ, non secus ac si cultro vel gladio ad eas usa fuisset. Vesica autem cystica bile bruno-viridi turgens unciarum duarum pondus præbuit, licet post emesin ab initio morbi nihil bilis ejecerit. Reperii vesica aperta non parum grumorum circa ductum vesicæ hærentium.

Præterea addendum erit huic morbi historiæ, quod vix non omnes, qui aliquamdiu in ægri cubiculo morati fuerant, raucedinem, vel dolorem in collo, vel siccitatem oris ac pectoris, vel linguæ tumorem & vesiculas, vel levia circa manus ac digitos exanthemata, vel aliud quid experti fuerint. Aliquis, qui constantius ibi hæserat, Medicinæ candidatus phlegmone pedis, dolore pectoris ac febricula decubuit. Servorum unus, habitus mollis, rufus, primo tonsillarum inflammationem, demum amarorem oris, febrem Scarlatinam, cum pulsu celerrimo molli contraxerat, curatus

tus demum emetico, rob Sambuci, nitro, acidis, atque copioſa cuticulæ deſquammatione. Quanquam aerem aceti vapore vel prudenti feneſtrarum apertione corrigere nunquam neglexímus.

— — —

Non hic definiam, an dextra ventriculi regio in puero, Caſus ſexti, ab anno jam poſt morbum peſſimum labe quadam infecta fuerit? an ultimo morbi die emeticorum aut Spiritus cornu cervi vel aliorum copia, an morbi malignitas eam deſtruxerit? Cæterum haud diffiteor me & nunc uti plerumque poſt obitum ægrotorum curæ meæ creditorum de commiſſo crimine ſumme anxium fuiſſe. Puer hic Caſ. VI. volatilia acceperat, nulla vero hauſit puella Caſ. I. copioſe demum ea accepit ſoror Caſus quarti. Forte veſicantia ad colli tumores, largiorque evacuatio ſervaſſent primam Caſ. I, ſed quis prævidet omnes morbi novi nequitias? Quis tumorum poſt veſicantia ſuppurationem forte hic ad ſalutem non minus neceſſariam promittere ſecuro potuerit? An forſan omnibus, quibus tumebat facies pallida, atque ſcrophuli detegebantur, il-

lico caput ad cutem tondendum, ac veſicante vel epiſpaſtico tegendum fuiſſet, cum æque in puellis Caſus primi & quarti eadem ſeri in cerebro ſuſpicio? An in nonnullis aliis hirudines ad tumores apponere haud fuiſſet incongruum? An in omnibus alvinæ magis inſiſtendum purgationi?

Plures ſervavi infantes, cum præter hos, quos recenſui, mihi nullus perierit. Nonnullos inveni ſuffocationi ac morti fere proximos. Linguam dum ſordidam ac fœtorem ex faucibus deprehenderem, etiam ſumme debilibus tartarum emeticum exhibui. In iis, ubi alvus fœtida ac tumidum abdomen erat, purgatione ſollicitavi alvum. Haud tamen reticendum eſt vomitiones nonnunquam ægrius latas, facilius & ſecurius alvi purgationes. Multi præterea in urbe periêre infantes ſibi relicti, multi non pauco accepti medicamine. Qui tumores ſeu ſcrophulos iſtos aut fugos paſſi ſunt, moriebantur omnes, & paſſim quidem, ut audiveram, cum ſopore, pectorisque ſtertore ac difficultate. Alii infantes ulcera in faucibus tulerunt ſerpentia atque lethifera poſt duas aut quatuor morbi hebdomadas, ſi negligeban-

gebantur. Rure in aliquibus tractibus mitis morbus erat, ſat funeſtus in aliis. Frequentior fuit infantibus Februario & Martio menſe, rarior Majo, ſuccedente ſparſim tuſſi ferina, cui emetica ſuccurrebant. Quos poſt febrem replevit hydrops, diureticis eos & purgantibus aqua liberabam. Qui poſt tumores in collo vel poſt morbum malignum ſervabantur, ægrius quidem evaſerunt. Sagaciſſimos quosdam poſtea ad tempus triſtes, ac ſtupidiores obſervavi, donec tempore ac roborantium uſu demum reſtituti fuerunt. Aliquod id mihi aquæ non nimiæ in cerebro præſentis indicium eſſe exiſtimavi. Nec tumores iſtos aliunde ac a ſero quodam vel lympha acri ortos putavi, quæ ante obitum ad nobiliores partes, nullo exterius relicto veſtigio, reflueret.

Quod aliis jamdum in regionibus circa Scarlatinam ante annos ſolenne fuit, id & Fuldæ, dum hæc prælo committo, contigit. Quippe febris, quæ poſt vernum tempus ceſſaverat, jam ſub finem Julii 1774 diebus prægreſſo quodam auræ rigore ferventiſſimis denuo ætatem teneriorem adoritur. Cum Vo-

mitibus Morbus aut vomendi conatu, frigore, calore, linguæ ſiccitate, colli ſub deglutitione dolore, & cæteris incipit. Mox primo vel altero poſt febrem die ſtigmata rubra in facie, trunco, ac artubus copioſe erumpunt. Nocte increſcit calor, ſubinde delirium ac reliqua. Vomitionem materiæ bilioſæ aliquoties promovi ac poſtea enema dedi, diætamque præbui tenuem, acidam. Tertio vel quarto morbi die apud quosdam collum vel aliæ partes copioſis veſiculis albis quaſi lacte vel pure plenis, minimis, conſperſæ fuerunt, ad quas excorticatio ſecuta eſt. Hæcque benignorum exanthematum hiſtoria fuit. Maligniorem ſubjungam caſum.

Puer duorum jam & dimidii anni eadem febre Scarlatina corripitur. Natus is fuerat Matre cum adultero ſub finem graviditatis deprehenſa, domo excuſſa, lactatus eadem vel oberrante vel captiva, indeque jam a primis diebus non levem patiebatur ægritudinem. Hyeme præterita Scarlatina imperfecta, maculis non ſatis erumpentibus, denique tumore poſt illas eximio infra aurem, in pus tandem concocto affectus fuit. Cum vornendi

nunc

nunc conatu morbus incipit. Altero jam die rubris ſtigmatibus copioſiſſimis cutis tincta ac aſpera fuit, ita ut pro morbillis falſo haberentur. Motus tunc convulſivos nonnullos notaverant. Nihil puer ſumit medicaminis, nihilque fere comedit, calens inſigniter ac rubens. Refrigerantia aut acida pro cibo ac potu oblata ſunt. Die morbi tertio vel quarto inveni puerum collo tumido anxie reſpirare, clamare, ſubſilire, ut crederem eum ſuffocandum iri. Egregie calebat, ſitiebat, oreque contorto artubusque rigidis convulſionum indicia prodidit. Secabatur vena, ſanguisque eductus tenax cruſtam habuit phlogiſticam. Verum poſt horam convulſiones increverant. Pallidior erat, ac mori credebatur. Excitabatur autem frictione, ſpirituoſis, volatilibus, veſicantibus ac ſinapiſmis irrito applicatis. Calebat, rubebat rurſus, ac per horas ita quatuor ſervatus, continuo fere interim convulſus aut rigidus, excrementis aliquoties in lectum absque ſenſu miſſis, oculis ſemiclauſis obiit, poſtquam colli tumor jam ante horam abiverat.

Poſt horam unam ac dimidiam corpus ſe-

cabatur. Maculæ rubræ ad livorem pronæ jam conſpiciebantur, lividæ forte poſtea ac violacei coloris factæ, ut hyeme ac vere obſervatum eſt. Nox enim adventans ad feſtinandum nos coegit. Præterea tumidum ac inflatum abdomen erat, quo compreſſo ingens flatuum murmur ac fœtor, cum excrementis paucis fluidis ac fœtidiſſimis, exprimebatur. Abdomen tum minus tumidum fuit, mox autem in priſtinum tumorem inflatus. Sanguis ex inciſis capitis integumentis prodiens in grumos abibat. Venæ cerebri repletæ erant ſanguine. In ventriculis cerebri aqua hæſit. Pulmones cinerei magis coloris a vaſorum oppletione videbantur. Copioſa in pericardio aqua fuit. In mucrone cordis circulus quidam cartilagineus erat ſat profundus. Hepar ſiccum firmum, ſtriis variegatis ac inciſuris fere iisdem ac in puero, de quo ſupra dictum eſt, (Caſ. VI. de Scarlat.) in parte concava notatum fuit. Videbantur inciſuræ eæ triangulares, baſi in profundum penetrante, quaſi veſtigia plurium lobulorum in formatione hepatis juxta poſitorum ac ad baſin coalitorum eſſe. Lobulus hepatis tertius, minimus, mollis & absque ſtriis vel maculis

culis fuit. Uncia bilis in vesica habebatur. Inflata erant colon ventriculus.

De peculiari debilium præprimis anuum febre.

Videbatur id, quod forte ab epidemia putrida reliquum erat, ad affligendos modo debiliores sufficere. Infantes enim quam acerbe mulctati fuerint, ex dictis intelligitur. Mulieres nunc ætate grandes ac viri senio aut virium dispendio confecti sua vexabantur febre. Nonnullæ anicularum inde in urbe morbi absumebantur iniquitate. Aliquarum, quæ se curæ meæ dabant, narrabo historiam. Dum autem nobis fere nihil antea in simili morbo adhuc usus ostenderat, facile nunc post enarratos casus erit conjectura prosequi, quomodo breviori forte curatione morbi tales abigi potuissent. Monstraverat enim usus, quousque corticis peruviani pleniore passim ore laudati viribus in ejusmodi febribus nitendum esset: monstraverat Natura, quomodo morbi materies eliminanda.

Casus I.

Vidua annorum circiter ſexaginta Aprilis initio 1774 nauſeam ac vomendi conatum experitur. Pharmacopola quidam emeticum illi porrigit. Verum ſequente mox die febris eam non vulgaris moris adoritur. Injuſte culpabat acceptum ex officina emeticum. Febris autem id habebat indolis: Mane & veſperi, quandoque ſæpius rariusve, paroxyſmus ſæviit. Ingruit is cum vix notabili frigoris ſenſu, calore ſat magno ſuccedente, cum ſiti, anxietate ac inquietudine inſigni, cum ophthalmia, ventris dolore, pulſu frequenti, ita ut centies & vigeſies ac ultra intra minutum micaret arteria. Ingens finito paroxyſmo relicta fuit virium proſtratio, ut vix erigere ſe ægra poſſet. Præterea de dolore pectoris ac omnium in artubus muſculorum querebatur.

Altero poſt ſumptum emeticum die abdomen obſervavi tumidum, diſtentum flatibus, cum non exigua anxietate. Dabam ter poſt horam pulverem ex ſalis polychreſti ſcrupulo, ſtibii diaphoretici non abluti ſcrupulo dimidio, Rhei granis ſex, cum ſaccharo. Alvus poſt hæc ſequebatur mollior, fœtida eximie, adhuc

adhuc diebus ſequentibus fluxa. Urgente ſiti febrili aquam cum Spiritu acido & ſyrupo miſtam exhibui.

Cæterum nulla erat cibi appetentia. In collo quidam oriebatur dolor ac difficultas in deglutiendo vel ſputo ejiciendo, quocirca ſæpius gargariſma adhibuit. Ex oculis ſerum effluxit acre inflammans eos, quod emplaſtro ex maſtiche & fermento panis ad tempora poſito avocare conabar. Præterea ſtrenuus adhibebatur corticis peruviani uſus, decoctum quippe corticis peruviani adjectis ſub finem coctionis floribus Chamomillæ, addito Syrupo & Liquore anodyno. Quandoque Sal ammoniacum interpoſui.

Nonnunquam paroxyſmi remiſſiores videbantur. Aliquoties de nocte ſudor prodiit, qui levare ægram videbatur. Sed quandoque ſeveriores demum paroxyſmi erant. Cæterum quodam mens ſtupore premebatur, cui appoſita iterato veſicantia non leviter opitulabantur. Tandem autem morbi progreſſu vix deglutire aut gargarizare ex virium defectu poterat, hinc poſt factas injectiones mucus

cus quidam luridus educebatur. Ad colli & pectoris dolorem cæteroquin cataplasmata applicata fuerant.

Postquam autem morbo protelato liquidæ quotidie feces insigniter fœtuerant, demum pulveribus supradictis evacuabatur alvus, larga post aliquot jam morbi septimanas sequebatur diarrhæa ægram terrens, ad minuendum autem morbum aptissima. Exploravimus itaque naturæ conatu vim evacuantium in hujusmodi morbis ad tollendos paroxysmos præ ea corticis peruviani esse longe efficaciorem. Præterea sub morbi finem in brachio anteriori quædam exanthemata propulsa sunt decorticatione sequente, eadem autem cum ob dierum aliquorum absentiam non viderim, nequeo definire, an vere talia & quænam exanthemata fuerint; interim eximium postea levamen adlatum esse mihi narrabatur.

Convaluit itaque ægra, dum materia morbi potissimum per alvum ac forte per cutim partim eliminata fuit. Rariores erant paroxysmi, unus de die, quandoque post diem tertium

tium unus, tandemque omnis evanuit, poſtquam fere ad tres ſeptimanas lecto affixa fuerat.

Casus II.

Pertinacior eodem tempore morbus aliam annorum ſexaginta & aliquot viduam occupaverat. Iſta æque primo morbi die nauſea atque nixu vomendi vexata fuit. Hauriebat cochleatim tartarum emeticum aqua ſolutum, atque die ſequente, cum ſtomacho & alvo evacuata eſſet, recte valere videbatur. Tertio autem morbi die omnis ſimul & ſemel morbi vehementia irruit. Paroxyſmus ex ſopore ac ſtupore eximiis, ex ſyncope, pulſu debili haud frequenti, cæterisque peſſimis erat compoſitus. Præceſſerant paroxyſmi inſultum ſuſurrus aurium, ſenſuum hebetudo, frigoris ex oſſibus ad cutem artuum efflati ſenſus, ſequente demum inſigni ſtupore, vocis impotentia, omnisque fere motus abolitione. Propendebat caput, atque non raro ſyncope extingui, dum attolleretur caput, ægra videbatur.

Finito paroxyſmo ingens reſtabat virium proſtratio, appetitus nullus. Nunquam ſitis ade-

aderat, quin potius a potu quocunque horreret ægrota. Pulſus parvus ac rarus erat. Conquaſſatos ajebat artus. Quandoque de pectoris, ventriculi aut inteſtinorum dolore ac oppreſſione querebatur.

Cum die poſt primum paroxyſmum adhuc abdomen tenſum animadverteram, pulveres eosdem, quos mox dicta vidua acceperat, porrexi. Sexies inde ejecit alvum. Sequentibus dein diebus corticem peruvianum adhibui. Pro potu vinum cum aqua obtrudi. A carnibus abſtinentiam, ſub paroxyſmo autem Spiritum cornu cervi vel Liquorem anodynum, conſulta duxi. Alvus dum aliquando per aliquos dies non reſponderat, enemata iterato exhibita fuêre.

Parum interim profecêre medicamina. Divinus ille, ut ajunt, cortex forte ad libras tres exhibitus ferme nihil effecerat. Diro itaque per plures ſeptimanas ægra luctabatur morbo. Nonnunquam mitior erat paroxyſmus, mox vehementior & mortem minitans. Subinde convulſivi motus ſuberant. Mox bis vel ter eodem die paroxyſmus rediit, mox

unicus

unicus de die erat, typumque per tempus ſervavit alterno duntaxat die acerbiorem. Demum quandoque intermiſit, tertio vel quarto die redeunt, rurſusque aliquoties de die ægram peſſime vexaverat.

Interim morbus ipſe atque Naturæ in ægra præfata conamen meliorem me medendi methodum docuerant. Obſervabam rite & frequenter ſequi paroxyſmum, ac quidem vehementiorem, prout ægra alvo ſtipata erat, mitiorem vero vel rariorem eum eſſe, dum alvus eſſet libera. Enemata dum non raro tria absque effectu data erant, purgans medicamen exhibui, quod eductis fecibus inſigniter fœtidis paroxyſmo morbi occurrebat egregie.

Aliquoties dum ſtupor nimius, convulſio, ac præcordiorum dolor ſeu anxietas ægram opprimere videbantur, non ſine eximio ſolamine veſicantia bina vel plura appoſui.

Nimia autem jam erat corporis ad generandum putridum propenſio, ita ut fere omni tertio vel quarto die purgans opponere debuerim. Enimvero cum poſt exhibita frequen-

quentius medicamina evacuantia paroxyſmi rariores ac fere nulli eſſent, mox alvo jam medicamine nullo ſollicitata adeoque rariore, recrudeſcebat morbus. Uſum itaque Elixirii acidi præter purgantia haud ſat diu continuatum ſuaſeram.

Tandem ad dies octo vel decem aberat morbus. Relicto autem medicamine evacuante & antiputrido, cum carnes comederet atque templa inviſeret, ſubito in eundem vix non effreniorem recidebat morbum, cum quo per menſes demum luctata fuit, ſub finem enim magis convulſivi ac ſoporoſi paroxyſmi fuerant. Iterato rurſus ſollicitabam alvum, applicabam veſicantia, atque porro conſtantem acidi Elixirii præcipiebam uſum.

Ægre illa primis diebus ferebat Elixirii acredinem. Senſibilior ac nudior forte ventriculus ab acido irritatus doloris cujusdam circa cordis ſcrobiculum ſecuti cauſa fuit. Sumptum autem per dies aliquos cum quadam mucilagine elixirium ultro haud mali quidquam præbuit. Datum igitur poſtea non niſi cum aqua pura vel aqua minerali putridi regene-

generationem, pravosque paroxyſmorum inſultus optime enervavit, prævertit.

Casus III.

Virgo eorundem forte annorum nauſeam, ſaporemque in ore alienum, frigus demum ac calorem poſtea, & ſudorem patitur. Perterrita infante fratris convulſo ſub ſudore iſto é lecto exſilit demum ægrior facta. Dabam binos intra duas horas pulveres ex ſequentibus: ℞. Salis polychreſti ſcrupulum, Stibii diaphoretici non abluti ſcrupulum dimidium, Radicis Rhei & Ipecacoanhæ ana grana quatuor. Tres vel quatuor inde vomitiones ſequebantur, ad quas ſapor iſte alienus minuebatur. Aliquoties reſpondit alvus.

Interim continuata febri quandoque lateris dolorem experitur, ad quem cataplaſmata appoſita proſunt. Sitis modica ſub paroxyſmo morbi eſt, cæteroquin nulla. Reſpirat ægra anxie ac difficulter cum tuſſi quaſi ſpasmodica, ita ut linctum quendam ad ejicienda facilius ſputa quaſi purulenta deteriorisque ſaporis porrigerem. Ex omnibus ferme dolet muſculis. Nonnihil comatoſa fuit, atque

appetitus deerat. Faciem autem pallidam emaciatam ac mutatam notabiliter ægrotæ affines ſtatuebant. Mane & veſperi paroxyſmus rediit, unicus tandem de die, ſenſimque exiguus ac nullus. Alvus interim, quod erat optimum, durante morbo bis vel ter de die ſolvebatur. Nonnunquam ſequebatur ſudor.

Corticem peruvianum, ut in febribus poſt prævias evacuationes moris eſt, indiſcriminatim adhibueram. Mox autem ob novum nauſeæ ac ſaporis alieni augmentum vomitu ſtomachum atque purgatione ſollicitavi alvum. Guttulas poſtea ex Tinctura corticis peruviani, radicis ſerpentariæ virginianæ flavedinis corticum aurantiorum, croci cum Spiritu vini facta, atque Elixirium Vitrioli Mynſichti exhibui.

Eadem fere febre alia virgo annorum circiter quinquaginta decubuit. Data erant evacuantia, poſtea cortex. Non ferebat corticis pulverem, neque decoctum ejus, neque extractum, quod adhuc anno elapſo pulveri præhabuit. Anxietatem enim illico corticis triplex uſus, ægritudinem ventriculique dolorem cauſa-

cauſaverat. Dum autem denuo de nauſea febre ac cæteris querebatur, demum vomitum ac alvum procuravi, atque poſtea eandem cum fructu Tincturam cum elixirio vitrioli ad ſiſtendos motus febriles adhibui.

Nec puellæ omnes a leniori morbi ejusdem ſpecie plane immunes erant. Nauſea autem, vomitione ac alvi conſtipatione præſentibus, datis mox evacuantibus citius convaluêre. Una mihi perfecte videbatur peripneumonica. Rubebat facies, cum ſumma reſpirabat anxietate, calebat, cum pulſu celeri & reliquis. Venam in brachio ſecari juſſeram, ſed mox motibus convulſivis poſt ſanguinis miſſionem ac fere epilepticis a meridie ad noctem agitatur, ita ut extingui eam crederemus. Sequentibus autem diebus dum amarorem oris, ructusque bilioſos pateretur, tartarum emeticum aqua ſolutum, & poſt hunc catharticum dabam, quæ mire levaverant morbum. Demum largiſſimo ſequente ſudore, exanthematibusque veſicularibus, ut mihi relatum eſt, ad pedes erumpentibus ſenſim convaluit. Continuus autem plus æquo ſudor vires exhauriens infuſo Salviæ cohiberi tandem debuerat.

Vir ſeptuaginta quatuor annorum plethoricus æque peripnevmoniacus ob reſpirationis difficultatem, anxietatem, calorem & reliqua videbatur, cum & aliquoties iſtum ſuſtinuiſſet morbum. Pulſus autem decimum vel duodecimum ictum cum omitteret, vena in brachio aperta fuit. Educto mox ſanguine pulſus intermiſſio rarior erat. Quæ vero cum demum fieret frequentior, rurſus ſecabatur vena effectu non diſſimili. Vires valde languebant. Ad nuchas pro alleviando reſpirationis negotio Veſicans appoſui. Non tamen ceſſavit omnis reſpirationis difficultas, niſi poſtquam alvus primo Clyſteribus, deinde iterato purgante medicamine ſollicitata fuerat. Ægerque ipſe in inſpiratione quoddam quaſi in dextro medii ventris latere obſtaculum indicavit, quod ſoluta ſemper minuebatur alvo. Feces valde fœtidæ eductæ fuêre, licet quatuor ante febrim diebus, cum quandam labiorum jam aſperitatem, morbi futuri ipſi indicium, præſenſerat, quatuor ſibi cremore tartari ſedes procuraverat. Nec interim ſub morbo hocce cutis mador abfuit. Ægro autem, dum adhuc poſt febrem mox poſt mediam noctem ſub ſudore ex ſolidorum forſan laxi-

laxitate orto evigilaret, infuſum ſalviæ cum vino fauſte exhibui, ne ſudore corpus ſolveretur. Alter faber automatarius meditatione, calamitate, ac mulieris forſitan ſalacitate emarcidus, febre nervoſa cum ſenſu ponderis in pectore ac inteſtinis, cum tremore, debilitate, ſtupore, abdominis tenſione, ſurditate, tendinum ſubſultu, viſus obſcuritate cæterisque peſſimis affectus fuit. Per paroxyſmos quotidie exacerbabatur morbus. Rheum omni tertio die datum, cortex, moſchus, acida, vinum ſervarunt eum morti, qui erat proximus.

— — —

Sicque deduxi morborum putredine ſibi affinium hiſtoriam, monſtravique morbos ejusmodi, unius forte Epidemiæ diverſo modo degenerantis ſobolem, eisdem ferme tolli medicaminibus. Differre itaque vel maxime morborum eorundem diverſis temporibus ac ſub aliis conditionibus ortorum curationes e contrario queunt, quas Medicus ad minima attentus facilius detegere poterit. Cæterum hos ſenum ac debilium morbos illis infantum, ubi nullæ comparebant maculæ Scarlatinæ, haud multum abſimiles fuiſſe judicabam. Au-

dii & menſe Junio, Augsburgi æque febres urticatas ſeu Scarlatinas, atque remittentes noſtris fere ſimiles valde frequentes eſſe.

Circa corticis peruviani in febribus adeo uſitati uſum unicum adhuc addere lubet. Non omnium nimirum ægrorum vires ad eum ſubigendum ſufficiunt. Aliqua ægrota infuſum corticis peruviani cum corticibus aurantiorum & ſaccharo, non pulverem, toleravit. Mihi quoque, qui ventriculi ac inteſtinorum laboro imbecillitate, corticis pulvis indigeſtus cum alvo laxiore inteſtina perlabitur, adeoque purgantis mihi medicaminis vices ſupplere poteſt. Idem obſervavi in avtomatario illo, de quo ſupra narraveram, cui vero cortex cum radice ſerpentariæ virginianæ & cæteris datus non idem præſtitit. Quin & ex hucusque dictis pronum erit colligere, quod cortex peruvianus non adeo ſanctum ac polychreſtum ad ſiſtendos febrium motus ſit medicamen, mihique cæteroquin minuenda jure videatur hæc de cortice opinio, niſi poſt repetitas evacuationes corporis adhuc ad generationem materiæ febrilis fere abolita fuerit diſpoſitio.

FASCICULUS ALTER.

OBSERVATA VARIA CIRCA MORBOS AC EORUM REMEDIA.

Morbus caducus.

Casus I.

Anno 1770 menſe Junio mihi cum Aula Celſiſſimi Principis noſtri ad aquas minerales prope Bruckenavium in regione noſtra Fuldenſi eſſe contigit. Videbam ibi Patrem quendam ordinis S. Franciſci balneo utentem ac aquam iſtam martialem ſimpliciſſimam leviſſimamque potantem. Ad me is atque ad Medicum loci acceſſit, morbique patefecit hiſtoriam. Per multos annos, variisque in locis, ille à concionibus ordinariis fuerat. Vinum, ut audiebam à ſuis, auſterum æque ac nobile, valde habuit in deliciis. Ab annis octo forte aut citius epilepſia per menſes ſubinde, ſerius aut citius, redeunte prehenſus à concionibus amovebatur, ab aquis mineralibus nunc opem efflagitans. Pauculum ei promittere auxilii vix audebam. Tertio in balneo ſedentem epilepſia ultimo corripuit, Medicusque loci redimebat ſuffocandum. Vidi denuo Patrem iſtum poſt annum atque monſtravi eum pluribus, ac adhuc monſtrare poſſum à malo caduco hucusque immunem proſpera

frui valetudine. Addam hic, quod & puellam in tepido balneo epilepsia afflixerit, aliumque, de quo mox, auræ calore æstuantem, profundo fluminis balneo utentem morbo submersum fuisse. Ne ergo eos absque teste aut socio balneis committamus.

Casus II.

Juvenis annorum viginti vel viginti quatuor, qui coquo cuidam ab auxiliis fuerat, morbo comitiali, nescio qua de causa affectus opem meam imploravit. Purgabam ægrum; ac postea martialia atque Spiritum cornu cervi diu adhibens rarius cadebat, sensimque ex morbo convaluit.

Casus III.

Studiosus robustus annorum viginti jam ac unius, jam a puero quandoque cecidit absque sensu, nesciens an epilepsia an syncope morbus fuerit. Tandem autem suis epilepsiæ signa luculentius notabantur, ac sensim ante annos quosdam venere forsan plus æquo utens, tandem anno ætatis suæ decimo octavo motus in dextra faciei parte, præprimis juxta orbitam, demum in musculis genæ, convulsive tremu-

tremulos ſuſtinuit. Loquendi, audiendi ac cogitandi facultas ſub paroxyſmo iſto nulla fuit. Bis aut ter in ſeptimana eisdem motibus convulſivis torquebatur, donec anno elapſo vehementius indies ingraveſcentes ſæpius in morbum comitialem tranſiverint. Manſêre interim hucusque oſcillationes iſtæ convulſivæ morbi caduci prænunciæ. Quodſi nimirum mane viginti aut ultra ejusmodi motus præcurſerant, poſt prandium vel ſub veſperam Epilepſia adfuit. Agmen claudere inſultus epilepticus videbatur, cum poſt eum nihil motuum prædictorum notari poterat. Vehementiæ ſive diuturnitati motuum, iſta morbi comitialis, exacte reſpondebat. Exaſperabatur malum, quo altiores radices egerat. Remedia optat miſer, atque idcirco ſanguinem ſubinde venis emitti curat, ſed eo adhucdum die gravior eum morbus corripit. Tandem a duobus nunc annis epilepſia præcurſorum motuum conſtans ac certiſſimus comes eſt. Strenuus Spiritus cornu cervi, moſchi, atque cæterorum remediorum uſus ingraveſcenti indies morbo limites nullos poſuerant. Die hinc decima quarta Decembris anni 1773 ei Halleri elixirium acidum ex æqua-

li parte olei Vitrioli atque alcoholis consistens præscriptum fuit. Guttas ejusdem quindecim ad viginti mane & vesperi ex aqua hausit. Tertia autem ab ejus usu die, decima sexta Decembris, denuo morbus, præmissis ut antea prænunciis, sat immaniter ingruit. Continuato medicamine, sexta Januarii 1774, motus convulsivi non comitante morbo comitiali rursus redeunt. Vigesima Januarii acerbiores adsunt convulsionis motus, sed caduci morbi loco brachium dextrum varie convellebatur. Elixirio acido ferri usus porro jungebatur. Decima tamen tertia Februarii die post sævos motus lenis epilepsiæ tentatio absque clamore ac oris spuma successit. Elixirii usu tres usque menses continuato, demum per tempus abstinuit. Nulla nunc epilepsiæ molimina præter leviores subinde convulsionis motus notare licuit. Nec motus ejusmodi experiebatur æger, nisi transpiratione forte impedita aut suppressa, scilicet post vigilias nocturnas extra lectum, vel noctis frigus, etiamsi inscié membra detegeret. Manet autem sub levioribus nunc motibus videndi ac cognoscendi vis, licet ad loquendum ineptitudo adfuerit. Nec antea, ùt modo, citra

tra metum convulſionum ſtudere ardentius poterat. Bis adverteram, quod minueretur poſt uſum acidi mineralis hominum voracitas, quamvis cæterum vigente appetitu bene valuerint; hinc, ne a conſtrictione nimia nobis noxa timenda eſſet, juvenem ab uſu diuturniore deſiſtere monueram. Suſpicatus inepte fuerat juvenis ſe poſt contagium primo ad convulſionis motus magis paratum fuiſſe, cum mox ante eos epilepticum, licet absque omni metu ac horrore, arripuiſſet, excitaſſet. Per ſex fere menſes morbo majore liber fuit, donec aliquando motus eos in muſculis faciei leviores ſentiens, ſub ſummo ſolis ardore frigidæ ſe immergens, horrore ac epilepſia correptus ac ſuffocatus fuerit.

En diverſa in eodem morbo remedia. Juvenis iſte rem coquinariam curans, vino quoque, ut non absque fundamento arbitror, largius utens, forte & cibo magis acido veſcebatur. Hinc ambo forſan, coquus ac religioſus, ex acrimonia quadam acida morbum contraxêre. Proderant igitur diæta, mars, ac cornu cervi Spiritus. Tertio autem, ſtudioſo quippe, cujus nervi (non definiam cauſam)

ad

ad motus ſpasmodicos præparati fuerant, vis acidi mineralis firmans auxilio fuit. Hieme aliquoties motus iſtos, ac ſecuturum, ut puto, paroxyſmum epilepticum, glacie appoſita ſuffocavit.

Ferri vis an ſit emmenagoga?

v. Act. nat. cur. T. V. 1773.

Magna eſt ſummorum in arte virorum de ferro opinio, magna virtutis roborantis commendatio, magna chloroticarum ferro ſanatarum memoria. Sed quæſtio quoque eſt medica, an menſtruis morantibus chaly beata? audacter id, uti adhuc multi ſolent Medici, aliquando adfirmavit Joſephus Lallemant, Præſide M. Carolo Ludovico Liger, Doctore medico: videantur diſſertationes ſive quæſtiones medicæ pariſinæ ex Bibliotheca G. Friderici Sigwart denuo publicatæ. Novi ego, quam pulchre ferrum corpora laxa pallida roborare, tonum reſtituere aut elaterem viſceribus impertiri valeat; neque inficior, craſi, copia, ac motu fluidorum reſtitutis nonnunquam catamenia languida, morigera, prodiiſſe. Verum tam univerſaliter ſeu indiſcriminatim, ac vul-

go

go ſolet, vim emmenagogam a ferro, etiam in corporibus laxis, exſpectari haud poſſe, repetita aliquando me docuit experientia. Experiendo quippe circa vires medicaminum magis quam diſcendo cognoſcimus. Quorundam hic, quos mihi jam anno 1770 circa ferrum cernere dabatur, caſuum componam hiſtoriam. Forte ex illa de ferro potius exiſtimare poterimus, quod vi ſua adſtringente aptius ſit ad ſiſtenda in debilibus menſtrui ſanguinis profluvia, quam ea deficientia ad reſtituendum.

Casus I.

Virgo quædam nobilis diutinis doloribus arthriticis, chiragra præcipue vehementiſſima, tumultu poſthæc ac turbinibus in inteſtinis, & neſcio acerbis quot malis immaniter ac barbare urgebatur. Tandem morbos hos abſtinentia, diæta ac medicamine vicit, ac fregit ferme, ita ut alleviatione, quam vix ſperare auſa fuerat, jam per annos perfrueretur. Aderant caro, habitus, calor, color, ſanis ſat ſimilia, quanquam querelis, pro more ſexus Nobilium, & medicaminibus ſemel aſſuefacta, fere quotidie ſua timebat mala, ſuumque puſillanimis

nimis petebat pharmacum. Vocatus aliquando ad eam plurima de perpetuo acido infestante in ventriculo debili audiebam. Ajebat quoque fluxum menstruum, haud fœdo tamen colore, parce nimis comparere. Sumpto purgante medicamine id nunc dabam consilii, ut pilulas sequentes ex ferro, earumque ter de die quinque deglutiret. ℞. Limat. ferr. rec. dr. iij. Extr. cort. peruv. dr. j. Rhei dr. ß. Extr. Absynth. q. s. f. pil. gr. ij. Ferrum quippe in corpore debili non leve fluxus menstrui incitamentum credidi. Mediam forte pilularum harum portionem absumpserat, cum tempus menstruum ingruebat. Ast fluxus jam fere nullus, parumque duntaxat aquosi loturæ carnium similis foras in lucem prodiit. Tantum non præterii, quod minime prætereundum fuit, accepisse hanc ægram quondam a Medico suo multum Mercurii dulcis, ac cæterorum, quæ putant acrimoniam humorum corrigere, indeque ortam absque dubio tenuitatem sanguinis, quæ ex maculis latis rubris a sanguine suffuso ortis in facie ac alibi probari posset.

Casus alter.

Matrona nobilis, habitu molli, sensili, abortum

ortum poſt molam paſſa, pallida, debilis, menſibus nunc parce adparentibus, robur a medicamine ac prolem deſiderabat. Pilulas, quas jam ab alio Medico tenuerat, neſcio quas evacuantes ſumebat, & dein ſuaſu meo pilulas ſupradictas ex ferro paratas. Viſcera roborare ferro animus fuit: inde forſan, præmiſſis ut ajunt præmittendis, ſperanda proles; ſi enim ullum medicamentum ad ſpem prolis ſpecifice valere unquam crediderim, præter ferrum nullum mihi magis uſu probatum noverim. Ita igitur me pleniſſime vel ægritudinis ſuæ rationem vel aditum reconciliandæ ſoſpitatis inveniſſe arbitrabar. Sanguis autem, qui fœdo ac fere nigro colore ex utero labebatur, nunc poſt pilulas ſtillavit parciſſime, loturæ carnis fere ſimillimus. Adiit poſtea Matrona iſta balneum noſtrum martiale Bruckenavii, quo ipſi ſalubri facto, melior primum valetudine, dum gravida fiebat, atque, cum hæc ſcribo, tertio jam partui proxima.

Casus III.

Altera Matrona nobilis, hyſterica, lenta ac iniqua dudum valetudine intemperanter lacerabatur, quamvis ſi ſtaturam ſpectaſſes, vi-

goris ipſa laudabilis videretur. Forte & mens curis ac animi ſollicitudine plus æquo exulcerata fuit. Varia ei a variis admovebantur medicamina. Poſt clyſteros ſeu purgantia ſæpe vidit ſecedere glutinoſum, in inteſtinis quod hæſerat, vertiginem ſimul, anxietatem ac cætera hyſterica ſubducens, prævertens, ac certe minuens. Nonnunquam artuum doloribus affecta fuit. Data illi aperientia, incidentia, ſat bene conduxêre. Poſt hæc autem Ventriculus languens, corpore laxo, roborantia poſcere videbatur. Cochleatim prius mane uno die hauriebat aquam laxativam Viennenſem cum Syrupo & aquis aromaticis atque ſale Sedlizenſi. Roborandi ſcopo ſequens ei medicamentum à Cl. D. Stœrkio laudatum propinabatur. ℞. Cort. peruv. Cort. Cinamom. Cort. Winteran. Limat. ferr. ana Unc. ß. m. f. pulv. cui affunde Vin. generoſ. ℔ ij. in leni digeſtione relinque per 24 horas, dein colaturam exhibe. d. ſ. ſumatur ter de die cochlear unum. Robur inde continuato per tres Septimanas medicamine ſenſim advertebatur. Inſtante vero tempore menſtruo ingens capitis dolor vires & animum conterens, fluxus menſium parcus, cæteraque mala cernebantur.

tur. Fruſtra conabar aliis tunc auxiliis catamenia copioſius expellere. Uſum tamen atque effectum medicamenti ſincere experturus idem infuſum ex ferro & corticibus repetendum ſuaſi: aſt eodem circa menſium negotium eventu ceſſit experimentum. Notandum hic, quod Matrona iſta mitigatis ſenſim medicamine ac temperantia malis iſtiusmodi, ſemper tamen menſium fluxum nonnihil dolenter ac ægre ferat. Notandum porro, ut ſupra innui, quod hucusque prona ſit ad glutinum circa inteſtina coagula; hinc quando capitis dolore, vertigine ac reliqua valetudine male laceſſitur, illico acri clyſtere vel leni evacuante, educto glutine quaſi in membranas preſſo, ſolatium guſtat. Demum advertendum, quod Matrona iſta ceſſante ſanguine menſtruo ſtillantem adhuc per aliquos dies mucum album, craſſum, notum fluxus albi nomine, experiatur.

Quid jam de ferri vi aperiente ac menſes pellente juſte ſentiendum? Quodnam circa ejus uſum tenendum eſt temperamentum? Quæſtio quidem hæc, quam modo affero, non eſt, ut puto, altiſſima eruditione dignis-

ſima, cum hæc nota dudum tritaque videri poterunt, paucis tamen de ea differere liceat.

Humores noſtri naturam fluidam ſervant, dum moventur, amittunt, dum vel moventur lentius, vel plane quieſcunt. Reddito motu plerumque redditur fluiditas. Enimvero augetur congreſſio, vel ut alii malunt, adtractio particularum ſanguinis, adipis, muci &c. eo magis, quo motus tardior. Elementa quippe vel muci vel ſanguinis vel alia, quæ divulſa antea motus progreſſivus tenuerat, tardiore jam motu vel quiete coeunt, ſive adtrahuntur ab invicem. Adtractione autem aucta augetur viſciditas vel craſſitudo, præcipue ubi accedente quiete portio humorum tenuior abſorpta amittitur, craſſior remanet. Inde humorum ad motum per vaſa minima ineptitudo, immeabilitas, ſtagnatio, obſtructio. Adde vaſa laxa, robur ac contractilitatem minimam vel nullam, actionem cordis liquida propellentis languidam: & facilior erit materiæ lenteſcentis ſtagnatio, vaſorum infarctus, obſtructio.

An

An non enim ferme binæ tantum cauſæ ſunt, quæ liquida per canales ſuos propellunt, nimirum vis cordis impulſo ſanguine diſtendens vaſa, atque vaſorum robur ac contractilitas, ac humorum forte quædam ad motum aptitudo? An non experimur excitato motu ſtagnationes ac coagula humorum diſſipari, habito in ſyncopticis, in tumoribus arteriarum anevriſmaticis &c. exemplo? An non econtra ad vaſorum obſtructiones ac ſtaſes humorum proniores ſunt, quibus vires debiles, quibus ſolida laxa, qui exhauſti morbis diuturnis, confecti ſenio, atque tempore hiemali?

Ferri ergo limatura proderit in obſtructis vaſis ex laxitate, motu humorum languidiore, virium cordis defectu. Nimirum augebit cordis motum, addet robur vaſorum tunicis. Aucto autem motu ac robore attritus, denſitas globulorum, calor ac adeo fluiditas humorum major erit, in vaſis fere extra vim circulationis poſitis excitabitur nunc motus quidam oſcillatorius diſſolvens ſtaſes, atque inde per motum humorum a tergo prementium, per vaſorum robur ac contractilitatem

seu motum oscillatorium liquidum stagnans propelletur. Forte specifice adhuc ferrum ingestum corpori ad augendum calorem, attritum ac fluiditatem, æque ut de rubore credimus, suum conferre dicetur. Etenim *etiam ferri elementum, quod in globulis sanguineis latet, ad calorem producendum aliquid conferre potest, cum nullum corpus a tritu vehementius incalescat* (*). Inde igitur a ferro quandoque humorum stases dissolvuntur, viscerum obstructiones reserantur. Inde stagnans vel lentius motus in vasis uterinis laxis sanguis subinde foras pellitur. Idem forte de nonnullis aliis roborantibus (qualia sunt aqua frigida, cortex peruvianus, equitatio, frictio) valebit. Hinc cortex peruvianus ad resolvendos ex laxitate colli parotidis aliarumque glandularum tumores multum laudatur a *Fordyce*, *Fothergill*. Hinc Ischuriam ex laxitate curare potuit, ut *Mackenzie* asserit, curavitque vinum generosum, ut mihi narratum est. Hinc in homine per febres atque data assiduo ibi solventissima & purgantia remedia debilitato maxime, abdominis viscera fere omnia indu-

(*) *Haller*, Elem. Physiol. T. II. L. VI. Sect. III.

indurata invenit, atque corticis usu continuato curavit *Kirchvogel* (*). Quippe fractis, ut ait, corporis viribus vasa morbosam ex viscere obstructo propellere materiam non suffecerant, cortex autem vi sua roborante vasa tam apta reddidit, ut materia obstruens excuteretur, ægerque integræ restitueretur sanitati.

Quid ergo in nostris ægris obstitit, quominus ferrum exspectationi nostræ satisfaceret? In primo & secundo casu tenuitas quidem humorum aderat, sed cum gracilitate ac irritabilitate vasorum, quæ angustata ferro, nonnisi tenuius sanguine fluidum aqueum vel serosum transmisêre. In tertio casu vasa ampliora, forte & laxiora, sed humores crassiores, mucosi, glutinosi fuerant; facile nunc contractis ferro tubulis fere penitus retinebantur, adeoque lente cunctanterque veniebant catamenia. Forte & ferri quantitas major seu connubium corticis in utrisque obfuit. Scrutetur, qui velit, causas profundius: mihi abunde est, si satis expressi, quid interius ægris a ferro efficiatur, atque si evicerim vim ferri specifice

(*) Diar. practic. 1771. p. 18. & 19.

menſes pellentem ſtricte nullam eſſe, quanquam adhuc concedere velim, etiam aliquando fluxum menſium poſt ferri uſum exinde comparuiſſe, quod ferrum defectum globulorum rubrorum reſarcire potuerit. Mihi interim conſtans teſtis experientia, quod in catameniis copioſioribus, ſi abſit febris ac calor, ferri ſeu pilularum dictarum uſus vix non profuerit.

Tumor ſtrumoſus colli poſt vomitorium imminutus.

Virgo nobilis a pluribus annis ſat ſtrumoſa, aut potius collo anteriore circum tumido deformata, ſubinde pro ejicienda bile aut alia ventriculi ſaburra, guttas emeticas ſibi familiares habuit. Vocabant eas liquorem emeticum, paratum ex vitro antimonii, vino & aromatibus. Collum tempore vomitionis antea ſemper ligarat; aſt jam 1770 Menſe Septembri vomitorium iſtud majore doſi ſat vehementer evacuans adhibuerat, collumque ligare præ nauſea & ægritudine neglexerat.

Mirum,

Mirum, quod ipſa & quivis alius diebus ſequentibus viderint colli tumorem ultra dimidium evanuiſſe. Fluctuabat nunc, utrum repetere vomitorium iſtud aut omittere ſatius foret? Verum nullo id viriliter ſuadere audente denuo non vomuit. Perſtitit interim tumor ſtrumoſus ultra medium diminutus, contra quem varia antea medicamina incaſſum tentata fuerant. A riſu immodico, vertendo caput retrorſum, ſtrumoſum iſtud ortum duxiſſe ægra autumabat.

Nunquid ſuffuſa in tela celluloſa colli materia lenteſcens glutinoſa, forte lymphatica coagulata validis iſtis concuſſibus ab emetico in collo libero excitatis divulſa, propulſa, partim ejiciebatur? Nunquid pugnant hæc pro Hippocrate aſſerente, ea quæ ſupra diaphragma hærent, vomitu ejicienda eſſe? Nunquid alia exinde deduci poſſent corollaria pro veritate forte theoriæ illuſtriſſimi *Bordeu* militantia?

Periodica uteri affectio.

Sub finem Menſis Maji anni 1773, ubi febres intermittentes, quas ſupra dixi epidemiæ putridæ fuiſſe continuas, admodum frequentes fuerant, alia ſemel ac non vulgaris mihi febris ſpecies in Matrona nobili obſervata eſt. Subito quippe iſta dolore ac teneſmo in abdomine verſus uterum correpta fuit, qui illico copiam materiæ albæ vix antea viſæ expreſſit. Purgante tum leni ſævitiem hanc ex vicinia voluptati, non dolori, facta avertere animus fuit. Rediit autem dolor in dextra abdominis parte ad crus proſerpens. Nonnunquam dum ſedebat, uti ac poſtea dum pateretur coitum, dolorem extra paroxyſmum in genitalibus, in utero ſuſpicor, ægra ſuſtinuit. Mox omnia hæc ſervabant typum. Omni veſperi ægritudo, pulſus citatior, dolor ac teneſmus materiam albam extorquens aderant. Bina adhuc admoveram remedia purgantia, atque pulveres præterea ex Crem. Tart. drach. ß. Sal. polychr. ſcrup. j. Sal. amoniac. ſcrup. ß. dederam. Demum decoctum ex herbis & radicibus Cichorei, Toraxaci, ſub cujus uſu febre hac uterina prehenſa fuit, continuavit.

Cor-

Corticis poſt hæc ſcrupulos duos omni bihorio ſumens ægra primo die levem inſultum experta fuit, qui potu caffee abigebatur. Altero die, poſt uſum corticis parciorem, levior adhucdum à prandio ægritudo præteriit, rurſusque nulla. Dabam poſtea pilulas ex ferro & corticis peruviani extracto, ac aquam martialem cum lacte, atque integer priſtinæ ſanitatis vigor perfecte reſtitutus fuit, nec ulla fluxus albi veſtigia remanſêre.

Conferantur hæcce cum iis, quæ antea de epidemiarum progenie dicta fuerunt. Certe materies corrupta, putrida, febris fomes, hic æque ad uterum quam ad inteſtina depoſita videri potuit. Appoſite ad argumentum hic afferam, quod anno 1772 ex materiæ circa uterum putreſcentis copia peſſimam febrim putridam cauſatam viderim. Quædam nimirum Matrona, debilis, fluxu albo maxime corrupto, acri, fere diffluens, in utero lædebatur ſyphone male adhibito, ita ut ſanguinis nonnihil proveniret. Uterus illico inflammatus fuit, atque retenta omnis, quæ antea effluere ſolebat, materia. Sublata fere poſt aliquot dies inflammatione ex materiæ retentæ ac forſan

ſan reſorptæ aut translatæ putreſcentia nova denuo febris putrida peſſima, ſumme affligens, exorta fuit.

De damnis purgantium in nervis mobilibus, ubi natura acre ſeri ad cutem expellere conata fuit.

Juvenis ſexdecim vel ſeptemdecim annorum, litterarum cultor, patre natus valetudinario, ad iram pronus, ſtatu corporis gracili, cujus fratrum unus quoque morbos epileptico-convulſivos, Choream Sancti Viti, cæterosque ſpaſmos ac tormenta fere incredibilia per tres annos paſſus fuerat, ante binos annos morbo convulſivo ultra quadrantem anni paulo aliter ac nunc conflictabatur. Poſtea ſcabie ſuperfuſus eſt. Ab ineunte ætate deformis tinea plerumque exulcerabat caput, quæ autem modo defuerat. Atque parum firma cæterum valetudine utebatur.

Nunc initio Martii 1773 circa frontem ac collum hinc inde elevabantur puſtulæ albæ pruritu moleſtæ. Laudabatur ipſi inſigniter pulvis

pulvis purgans *d'Ailhaud.* Mediam voravit doſin. Diebus ſequentibus male habuit, appetentia cibi hebetata caputque dolens fuerant. Repetenda, clamabant pleno ore pulveris iſtius patroni, repetenda doſis. Repetebat eam miſer effectu peſſimo. Mox enim ingraveſcit æger, e capite dolet vehementius; magis languet ſtomachus, atque indies advenit quidam paroxyſmus palpebras claudens, linguam ad loquelam ineptam faciens, verbo, advenit paroxyſmus quidam convulſivus, qualem mox deſcribam, licet mitior initio, gravior ac indigniſſimus tempore fuerit.

Dabam corticis peruviani pulverem atque poſtea ſimul decoctum ligni Quaſſiæ. Videbatur poſt dies quinque vel ſex mitigatus morbus, ſed manſit dolor capitis: languebat mens, corpus, ſtomachus. Ambulabat nonnunquam ad laſſitudinem, ſtudiisque demum ſe adſerebat. Mox videbatur correptus catarrho, ſub quo ſubin pulveres ex Kermete minerali & ſtibio diaphoretico non abluto atque ſpeciebus pectoralibus adhibebantur. Sed mox magis patuit morbus ſeu paroxyſmus convulſivus, qui nonnnihil hucusque delituerat, ſemel vel

bis

bis de die increvit, ſeu indies pejor factus eſt, urgens caput, pectus, artus, ſtomachum; quo tempore non niſi pulvere ex Moſcho cum Saccharo, decocto ligni Quaſſiæ atque guttulis compoſitis ex Spiritus vitrioli dulcis drachmis tribus, Camphoræ drachma dimidia, laudani liquidi Sydenhami ac Tincturæ croci ana guttis decem, & reliquis mitigare valetudinem fruſtra tentaveram. Aliquoties pannis calidis, ac infuſo croci ante paroxyſmum dato corpus madidum ac calidum ſervabatur, irrito conatu.

Paroxyſmus autem, quem modo depingam, habebat hoc moris, ut ab ægro adverteretur adveniens. Exſpectabat eum juvenis languidus: oculi ei quaſi ſomno pleni; neque palpebras porro ſuſtinere poterat, quæ tandem concidebant immobiles. In naribus protinus ſiccitas aderat, quæ demum ingens in lingua ſecuta eſt. Amiſſa fuit loquela, pectus oppreſſum, dolens, reſpiratio cum labore peracta atque ſtertore, ſonora; corpus non raro rigebat, brachia mox rigida, mox mollia flexilia erant, cutis nonnunquam ſicca, alias mollis humida. Linguæ ſicciſſimæ dum parum liquo-

liquoris anodyni illiniebatur illico remiſſis ſpaſmis ea molleſcebat denuo brevi rigeſcens. Tendines plerumque motus tremulus ac convulſivus pervagabatur. Tuſſis fere ſemper quædam ſpaſmodica in ipſo paroxyſmo velut cum ſuffocatione aderat, humidior paroxyſmo finito. Pulſus in arteria anguſtiori ſub paroxyſmo parvus, debilis ac ſumme tardus erat, tandem ſub finem paroxyſmi frequentior factus ac fortior. Dum mitior erat paroxyſmus, ſibi mente conſtabat æger, omnia audiens, intelligens; manſit ei vis deglutiendi ac debiliter manum ac brachium pro arbitrio movendi. Aliquoties autem in paroxyſmo pejore mens, ſenſus, ac omnis vis muſcularis aberant. Sitis ſubinde nimia, ſubinde nulla. Urina ſub paroxyſmo ſumme aquea pallida, ante eum plus vel minus talis, frequenter plerumque ineunte paroxyſmo miſſa. In manubus torpor ac in genubus præcipue, cum movendi impotentia. Plerumque poſt ſecundam pomeridianam, quandoque citius, quandoque lente magis ac cunctanter paroxyſmus adrepebat. Poſt eum æger jacebat languidus; appetitus ei quandoque per plures dies nullus, artus quaſſati ac vires proſtratæ fuerant; nonnunquam pituitam quandam

dam tuſſiendo ejecit; manſit dolor capitis, tuſſis. Somnus non reficiens meris protrudebatur inſomniis.

Notandum, quod nunc, ſicut ante duos annos, ſub hoc morbo dulcis quidam peculiaris ſudoris vel cubiculi odor advertebatur. Præterea ad riſum æger quendam pronus erat: obſervabamque omni tertio die paroxyſmum redire graviorem.

Decimo quarto Martii, die cæteroquin acerbiori ex ordine, mane ipſi legebatur hiſtoria illius, qui Hamburgi triginta horis dormiverat, atque morbus illius morbo ægri noſtri affinis pronunciabatur. Audiit hæc deſuperque forte plus juſto meditans ac timens ſibi juvenis. Adverti enim poſt aliquos dies hanc hiſtoriam adhuc animo hærere penitus. Advenit igitur eo die poſt prandium medio tertiæ paroxyſmus iniquiſſime hærens ad undecimam noctis. Videbatur is inſuperabilis. Graviſſime jacebat æger, tuſſiebat vehementer, dolorem capitis, pectoris atque artuum, dum mentis adhuc compoſerat, manifeſtum fecit digitis. Demum defuit tuſſis, dum absque

ſenſu

ſenſu jacuit ſtertens fere lethaliter; Non raro adeo videbatur exanimis, ut pro mortuo haberetur. Tendines aſſiduo movebantur, digiti ſæpius contrahebantur, artus mox rigidi, mox flexiles. Sub finem paroxyſmi per horam & ultra in ſopore vel ſomno profundiſſimo cum reſpiratione valida jacere videbatur, non ſecus, ac plerumque ſolent epilepſiam paſſi. Bina injecimus clysmata, acre prius, mite poſterius, ad quod ſecuta alvus. Fricabamus corpus pannis calidis, bina veſicatoria ad ſuras pedum poſuimus.

Decimo quinto, die mitiori ex ordine, remedia priſtina ſepoſui, & dedi omni tertia hora tres pilulas ſequentium: ℞. Caſtorei, Galbani ana drachmam dimidiam, Aſſæ fœtidæ ſcrupulum, Tinĉturæ caſtorei q. ſ. f. pil. gr. ij. Atque nonnunquam præbui guttulas viginti Liquoris cornu cervi ſuccinati. Paroxyſmus meridie ſerior ac mitior advenit, ſed fere æque diu durans. Per pauca duntaxat minuta mens ac ſenſus aberant. Ad brachia per aliquot dies applicata fuêre epiſpaſtica cum aliquo ibi, ut videbatur, levamine. Etiam ad caput applicaſſem epiſpaſti-

cum, ſi permiſiſſet juvenis aut mater ejus caput tondi.

Decimo ſexto mane jam levare palpebras haud poterat, atque ex capite dolebat inſigniter. Continuatæ pilulæ & liquor cornu cervi ſuccinatus. Poſt prandium medio ſecundæ paroxyſmus ingruit, qui pridie medio quartæ adfuit. Adeo hic conterebat vires, ut æger poſt eum nec digitum nec pedem movere, nec palpebras aut linguam movere potuerit, ita ut ægrum ſequente denuo paroxyſmo e vita exiturum facile ex debilitate æſtimaſſes. Ab aliquot diebus omnino nihil comederat.

Decimo ſeptimo ſummam iſtam adhuc mane inveni debilitatem, pulſum exiliſſimum. Putabam igitur feſtinandum medicamine. Debilitas tuſſim ſuffocabat. Dabam granum unum cum dimidio ſulfuris antimonii cum ſtibio diaphoretico non abluto, mane & a prandio; ſemper id medicamen unicam pituitæ vomitionem excitavit, mane quidem cum brevi ægritudine, à prandio cum levamine. Omni hora dabatur larga doſis electuarii ex corticis peruviani uncia una, liquoris

ano-

anodyni drachma dimidia cum Syrupo cinamomi q. ſ. Dabantur tertia quaque hora pilulæ, ſubinde guttulæ atque aliquoties pulvis ex limatura ferri cum cinamomo & ſaccharo. Inde ſenſim pulſus celerior, fortior, color vividior, tuſſis liberior: levabantur palpebræ; in capite minus erat doloris: excitabatur animus: minuebantur peſſima quæque, quippe dolor pectoris, artuum gravitas, & reliqua. Paroxyſmum itaque vel nullum vel leviſſimum exſpectabamus. Proſpere enim omnino iſta medicatio ceſſiſſe videbatur. Advertit autem æger poſt horam tertiam adſtare paroxyſmum, palpebras enim ſuſtinere haud valet, parum tamen opis ab aqua frigida accipiens. Tandem monſtrat nobis linguam ſiccam fieri, loquelam amiſſam eſſe, mente conſtante, ita ut ſub paroxyſmo ſcriberet, oxycrato linguam ut vellemus madefacere. Poſt mediam horam paroxyſmus præterierat. Pauca adhuc dum hoc die comedens a potu abhorruit, licet antea ſæpe potaſſet nimium. Urina nunc craſſior magis tincta colore. Sudor atque feces odorem pilularum retulerunt. Mucidus nonnunquam in ore ſapor. Poſt paroxyſmum æque bene cum ægro agebatur.

Decimo octavo horrens electuarium duntaxat pilulas & liquorem cornu cervi ſuccinatum continuavit, aliquosque abſumpſit pulveres. Ultra horam æger quatiebatur paroxyſmo magnaque poſtea ægritudine.

Decimo nono eadem fere ac diebus elapſis medicamina. Duæ demum horæ paroxyſmo moleſtæ erant. Minor autem poſt eum virium ac animi proſtratio. Quippe dierum ordo alleviationem poſcebat. Veſperi poſt paroxyſmum ad corticem peruvianum denuo confugi, atque aliquoties pulverem ejus cum oleo aniſi adhibebam.

Vigeſimo Martii mane rurſus pilularum atque electuarii uſum, ut ſupra, urgebam acriter. Paroxyſmus a prandio mitis quadrante horæ notabilis, mane leviſſime pulſans oſtium. Cibum æger magis appetiit. Continuabam medicamina.

Vigeſimo primo medicamina eadem. A prandio leviſſimus inſultus paroxyſmi adfuit medio tertiæ, ſed rediit fortior ac pertinacior medio quintæ, hora manens integra. Ab aliquibus

quibus diebus quidem nec vires nec animus adeo ut antea decumbebant, tamen ita adhuc ligamenta ac muſculi debiles ac relaxati fuêre, ut caput erectum tenere vel ſedere in lecto hucusque haud potuerit, vix pedes loco movere valens.

Vigeſimo ſecundo medicamina eadem. Conſumptis autem verſus meridiem pilulis nihil niſi electuarium abſumebat. A prandio verſus quartam oculos cæculos habuit: per quatuor vel ſex minuta aderat paroxyſmus, ſub quo ſemel dabatur liquor anodynus cum ſaccharo, demum guttulæ antea deſcriptæ, quibus ab aliquibus diebus parum laudani liquidi Sydenhami additum fuerat. Relicta ab incompleto hoc paroxyſmo levis quædam ægritudo atque nictatio oculi. Poſt quadrantem horæ aut ſerius denuo paroxyſmus ægro utut reluctandi irruit cum reſpiratione celeriore non ſtertente, vocis amiſſione, linguæ ſiccitate, dolore pectoris & reliquis, per decem minuta durans, quo finito æger alacrior, vini hauſtum aliquoties in deliciis habens. Cæterum notari expedit, ſub finem paroxyſmi fere ſemper rigores ac tenſiones corporis vel

artuum atque oſcitationes frequentius præiiſſe. Veſperi ſequens confici electuarium curabam. ℞. Corticis peruviani, conſervæ Rutæ ana Unciam unam, Liquoris anodyni drachmam dimidiam, Syrupi corticum aurantiorum q. ſ.

Vigeſimo tertio Martii, die deteriore ex typo, mane major dolor in capite, nec in animo ea, quæ pridie, alacritas cernebatur. A prandio poſt tertiam paroxyſmus adfuit non ultra horæ quadrantem durans, redeuns autem medio quartæ ad medium quintæ continuus. Paroxyſmo finito laſſitudo ac dolor in artubus, quidam demum prorupit ſudor. Urina mane citrina, poſt paroxyſmum aquea. Bibebat hoc die frequentius. Alvus mane parum ſicca fuit. Dabatur veſperi clyſter ex lacte & oleo, veſicans ad nucham.

Vigeſimo quarto mane ac demum veſperi veſicans in nucha aqua abundanter repleta erat. Ter habuit paroxyſmum levem aliquot minuta durantem, ita ut terni paroxyſmi vix quadrantem horæ conſumpſiſſent. Interim mane & tota die triſtis, oppreſſus morbo, dolens ex capite, artubus fuerat, ita ut veſperi

ri vix loqui vel artus movere potuerit, quapropter versus noctem aliquoties saccharum cum moscho porrigebam. Præterea vesperi omni bihorio unum pulverum dabam sequentium: ℞. Corticis peruviani drachmam dimidiam, Radicis Valerianæ sylvestris scrupulum, olei anisi guttam.

Vigesimo quinto fere eadem fuerant: Sitis varians, debilitas subinde ingens & reliqua.

Vigesimo sexto ordinavi sequentia: ℞. Corticis peruviani, Radicis Valerianæ sylvestris ana unciam dimidiam, conservæ Rutæ drachmas sex, Syrupi corticum aurantiorum q. s. d. s. sumat omni bihorio ad nucis magnitudinem. Præterea ter vel quater de die dabatur infusum cum vel sine lacte ex sequentibus: ℞. Florum Arnicæ, Anthos ana pugillos tres, Herbæ Serpilli manipulum dimidium. Vires prostratas sæpius elæosaccharo Moschi erigere conabar. Facies, quamdiu paroxysmi hi durarent, plerumque florida ac vivida fuit. Sub nimio in capite dolore aliquando frustra Camphoram cum nitro porrigebam. Plerumque sub paroxysmo & post eum cutis maduit;

paroxyſmi ſenſim breviores, at non conſtantes, acerbiores autem conſtanter tertio erant die. Initio Aprilis nonnunquam caput attollere potuit, atque circa collum nodulos quosdam ſive glandulas induratas conſpiciebam.

Sexto Aprilis electuarium, quod hucusque in uſu fuit, ſepoſui, retento infuſo ex Floribus Arnicæ, Anthos, & Herbæ ſerpilli. Mane & veſperi pulvis dabatur ex Antimonii diaphoretici non abluti granis quindecim, Fuliginis, pulveris lapidum cancrorum ana granis decem, Sulfuris antimonii tertiæ præcipitationis granis tribus. Levis hoc die & ſequente diarrhæa ſucceſſerat.

Die ſeptimo Aprilis pulveres iidem dabantur. A prandio paroxyſmus abfuit, ſed ad veſperum uſque debilitate ac ſomnolentia premebatur. Per unum vel alterum minutum evigilaverat, per quædam demum dormire videbatur. Reſpiratio facilis, ciborum ac roboris appetentia. Veſperi hora quinta ad nonam erumpebat ſudor cum levamine. Alacrior enim inde atque minus ſomno ac debilitate oppreſſus fuit.

Octavo Aprilis pulveres habentur iidem, eadem præcipue a prandio in ſomnum ac debilem ſoporem propenſio, ita tamen, ut & hæc paroxyſmi mutatio alternis diebus atque mane jam ad veſperum notabilior compareret. Fuit autem hæc nunc Morbi facies. Æger e capite ac artubus dolebat. Maxime irritabile erat ſyſtema nerveum; ita, ut dum extenderet brachia, vel corpus, dum loqueretur, ſcalperet &c. illico per quædam minuta vel diutius quaſi dormiens ac fere absque ſenſu jaceret. Dum autem tangerentur genua ac pedes, ſubito evigilabat perterritus. A minimo terrore, vel ſtrepitu a re in terram cadente, vel ex alia cauſa excitato, ultra quadrantem horæ absque ſenſu jacuit fere exanimis. Idem obtinuit, dum lecto eximeretur. Facies nunc pallidior, lingua muco immunda fuit: præbui itaque decimo Aprilis Radicis Ipecacoanhæ ac Kermetis mineralis ana grana tria, Stibii diaphoretici non abluti ſcrupulum. Aliquoties exinde evomuit materiem flavo-viridem absque ſapore alieno. Denuo electuarium ex radice Valeriana & cortice, ut ſupra, adtuli, atque omni tertia hora ad nucis magnitudinem exhibui. Debilitas hoc & ſequente die ferme iniquior, ita, ut un-

decimo Aprilis ad vires reconciliandas demum elæoſaccharum Moſchi advocarem. Bis de die nunc infuſum ſalviæ vino paratum præbebatur. Dabatur vinum, infuſum Coffee, & cibus roborans.

Decimo tertio Aprilis, electuario neglecto, omni tertia hora guttas ſexaginta Tincturæ ex cortice peruviano, corticibus aurantiorum, radice ſerpentariæ virginianæ ac croco, deglutiit.

Adverti non raro quasdam intra digitos veſiculas aqua mordaci plenas. Cibi reficientis nunc aſſidua aderat appetentia, ac notabile valde circa decimum ſextum ac ſeptimum levamentum, ita, ut per minutum ſubinde ſedere ac corpus erigere potuerit, quin ut antea deficeret animo.

Tandem die decimo nono ac vigeſimo Aprilis æger meliuſcule eſſe cœpit. Sedebat in lecto, educebatur, & ſubinde tantum momento citius quidam ſopor leviſſimus præteriit. Conſtans fuit diu iſta nervorum mobilitas, ita, ut licet juvenis ſermonem cum aliis con-

conferret aut Martis luderet alacris, illico per momentum (centies forte de die) ſubſideret evanidus, quamprimum verbo quodam vehementius prolato aut ſtrepitu fortuito leviſſimo terrebatur. Facillime autem, dum conciderat, excitari poterat. Conabar ferro, cortice peruviano, vino, diæta ac frictione debilitatem iſtam extirpare. Nonnunquam e domo diebus Maji fervidis manuducebatur. Tandem autem Natura ultimam morbi curationem ad finem perduxit felicius. Juvenem quippe morbillis nobis tunc epidemicis inficiebat. Die uno aut altero ante febris eruptionem ſæpius ac alias linguens ægri animus revocari quidem debuerat. A die febris autem excuſſa fuit nervis iſta mobilitas, debilitas animo, quæ noſtram hucusque vicerant artem medicatricem. Cæterum morbillorum febre ſat inique, aſt citra noxam, torquebatur.

Ita nimirum Natura belle novit foras pellere morbum, quem ars perverſa, pulvis quippe *d'Ailhaud*, forte ad partes nobiliores introduxerat. Mihi itaque aliqua exinde didiciſſe videor, quippe quomodo purgantia vehementiora materiam acrem a partibus externis

ad

ad internas avocare atque nervos mobiles morboſe afficere valeant, ac demum quam feliciter nonnunquam morbo pertinaci ſuccurrere poſſit morbi cujusdam exanthematici inoculatio. Nota eſt obſervatio *Muzelii*, qui tam fauſtum ab inoculata ſcabie effectum expertus fuit. Nota eſt, quam nobis conſervavit *Lobbius*, juvenis hiſtoria, cujus invaletudo poſt inoculatas variolas ſublata eſt. Atque ego fateor me in puella poſt Scarlatinam Caſ. IV. indies convulſa non parum ad inoculandas variolas, in vetula poſt febrem peculiarem Caſ. II. diu nimis paroxyſmis ſoporoſis ac convulſivis conflictata ad ſcabiei inoculationem fuiſſe tentatum. Nonne expeditiores curandi vias Natura duce ſequi obſervantibus ſæpius datum eſſet?

De Acidorum in chronicis efficacia.

Casus I.

Fluxus albi corrupta materies poſt uteri inflammationem ſuppreſſa in Matrona quadam fæcun-

fæcundiſſimum ſequentis mox favente Epidemia febris putridæ præbuerat fomitem. Peſſime morbus iſte ægram per dies quindecim exercuerat. Fuerat autem Matrona iſta jam ante has febrium ſcenas cachetica, materiei vitiatæ ex muliebribus copioſiſſime manantis effluxu exhauſta, macilenta, ſitiens mane labiis ſiccis, pulſu frequenti, hectico, laſſa ad motum, & reliqua. Haud multa eocirca ſalutis exſpectatione diſtinebar. Præter evacuantia fere omnem in acidis ſpem non irrito conatu poſueram. Aquam acido minerali ac Syrupo miſtam pro aſſiduo potu ac medicamine habuit. Evaſit tandem, quæ acerbe ægrotaverat, atque ſenſim reconvaleſcens & omnem ad hecticam diſpoſitionem, & uteri fluxum perdidit. Rediit quidem poſt aliquot menſes demum fluxus iſte uteri, ſed albus, parcior, minus acer. Concluſeram itaque ex iis, fuiſſe in acidorum uſu vim quandam, quæ humorum corruptionem corrigeret, indeque hecticum abigeret calorem.

Casus II.

Altera nunc adfuit Matrona tenera, quam fluxus uteri decolor copioſiſſimus, macilentia, calor

calor quidam hecticus, labiorum ſiccitas perpetuumque ſanguinis ex utero ſtillicidium diu vitiaverant. Atque non pridem abortum alterum perpeſſa fuerat. Ex fructu eo, quem in acuto antea morbo ab acidis obſervaveram, de eorum in chronicis efficacia jam argumentatus eram. Oleum itaque vitrioli cum aqua & Syrupo per longum tempus exhibui: addidi nonnunquam Elixirium Vitrioli Mynſichtianum. Minuebantur ſenſim dicta mox ſymptomata atque ea, quam ad Hecticam habuit, diſpoſitio. Matrona poſthæc gravida facta eſt, feliciterque partum tulit. Cum autem & ſub hac, uti ſub priore, quam abortus exceperat, graviditate nonnihil ſemper ſanguinis ex pudendis ſtillaret, acidum Halleri Elixirium, cujus jam uſum edoctus eram, optimo cum effectu porrigebam.

Casus III.

Alia mulier hyſterica aliquando arſenicum nitri loco acceperat. Succurrebatur, ut puto, variis. Sed per aliquot deinceps annos plerumque adverſa fuit valetudine. Aliquoties uteri hæmorrhagia afflictabatur. In abdomine tumor quidam prominuit, minutus ſub

fluxus

fluxus menſtrui tempore. Dolorem in ventriculo, anxietatem, vertiginem, cæteraque hyſtericis frequentia dum diu ſuſtinuerat. Poſt centena alia elixirium Halleri acidum cum magno hauſit levamine. Gravida porro facta eſt, partumque tulit feliciter. Aliæ quædam feminæ hyſtericæ omni quarta vel ſexta hebdomada capitis dolore, vertigine, anxietate reliquisque hyſtericis vexatæ elixirium ſumebant eodem effectu, ſi graviditatem non omnibus optatam excipias, haud abſimili.

Casus IV.

Juvenis annorum viginti & ſex, nervorum mollitie ac animi ſenſilitate non vulgari prædituſ, poſtquam Venere plus æquo forte uſus fuerat, coinquinationibus nocturnis mire exhauriebatur. Animum eæ ac corpus enervabant. Impatiens ludorum ſomni juvenis viriliter tandem iis obluctabatur. Fere quavis nocte aliquoties de lecto ſubſiliebat, corpus obtegere vix audebat, cum duntaxat pedes ac pectus muniret pulvinis, nudato ne incaleſceret abdomine. Jocos, cogitationes ac cætera obſcœna evitabat ſollicite. Medicamina adhibuit. Sed ea jam erat corporis ad

contaminationes ejusmodi agilitas, ut, dum litem obtinuisse, vel generoso vehi equo, læte somniaret, semen perderet. Constans autem elixirii acidi usus eam partium mobilitatem, & quæ inde secuta sunt, corrigebat. Ventriculi autem dum simul imbecillitate laboraverat, elixirii vitrioli Mynsichti usus hora ante cibum fuit demum adhibitus.

Addere huc poterimus tertium, quem circa morbi caduci curationem narravi, casum, atque ea, quæ de puella post Scarlatinam per tres fere menses convulsa supradixi. Nec amittenda est memoria viduæ illius ætate grandis, quæ post febrem mali moris, ubi nullum fere a cortice peruviano subsidium, paroxysmis soporoso-convulsivis immaniter vexabatur.

Casus V.

Mulier quædam obesa, laxi habitus, aliquoties vel cum vel absque mola post suppressa per aliquot menses catamenia insignes ex utero hæmorrhagias passa fuit non absque vitæ periculo, convulsionibus enim ac lypothymiis non raro afflicta fuit. Demum per ali-

aliquot menſes nullum experta catameniorum fluxum mala timebat eadem. Elixirii autem acidi uſus, ut exiſtimo, id forte effecerat, ut cum hæmorrhagia vix notabiliori, ac menſtrua cæteroquin eſſe ſolebat, catamenia denuo prorumperent. Cæterum ei guttulæ hæ validam ciborum appetentiam adtulerant.

Casus VI.

Homo juſto ſolutior poſt gonorrhæam ſæpius perpeſſam virilia fortaſſis plus æquo detererat. Caruncularum enimvero in urethra remanſerant indicia. Tandem quædam effluebat materies, ſequebatur dolor, ardor, ſtranguria ac perfecta ſenſim urinæ ſuppreſſio. Non absque diſcrimine denuo urinæ iter expeditum fuit. Poſtea autem aliquoties rheda per aſpera viarum vectus materiei vel puris corrupti ex urethra copiam perdidit. Cereoli Goulardi poſt urinæ reditum conſtanter immiſſi ſunt. Quædam tamen quotidie in induſio ac certo cereoli loco aderant puris veſtigia. Cum dolore erigebat penem, ac in quodam urethræ puncto applicatis cereolis conſtanter doluit. Non raro de nocte, haud citra virium diſpendium, ſub inſomniis ſe pol-

luebat, quin ſemper inde ut alias evigilaret. Ultra menſem cereolos adhibuerat, cum præter eos elixirium acidum darem, quod ſumebat largius. Ceſſabant mox contaminationes nocturnæ, puris effluxus ac dolor in urethra minuebantur, atque ſalax æger erigebat jucundius. Elapſis vero adeo feliciter diebus forſan quatuordecim nocturno demum polluebatur inſomnio, ad quod illico copioſus materiei effluxus conſpiciebatur. Continuato interim diu elixirii uſu meliore quidem rurſus fruebatur valetudine, omne autem materiei vel potius muci nunc corrupti ſtillicidium, quod *Tode* gonorrhæam ſubſequam (Nachtripper) vocaſſet, dum ceſſare prorſus haud voluit, decoctum demum radicum Cichorei, Taraxaci, Bardanæ, Sarſaparillæ, addito Tartaro ſolubili, elutis probe viis, maligno fluxui oſtium occluſit, adhibita nimirum quoque diæta ac cæteris roborantibus.

Casus VII.

Alius non mediocri pollens animi teneritudine ac Mentis vi, ſtudiis doctrinisque acriter deditus, non inculta interim Venere, ab annis aliquot nonnunquam malo iſto, quod

Vapeurs

Vapeurs gallice vocant, affligebatur. Subito anxietas quædam, inquietudo, capitis imbecillitas ac vertigo, in collo moleſtia ac anxia ad deglutiendam ſalivam impotentia, pectoris inflatio & reliqua aderant. Præcipue dum cibos flatulentos abſumpſerat, vel dum ſtudiis, venere, tædiis aut aliis animi pathematibus nervos agitaverat. Iis, quæ flatuum non raro augebant tumultum etiam jure potum caffee, quem in deliciis ac conſuetudine habuit, adnumerabat. Suppreſſerat autem eum denuo vinum vel Spiritus vini, quandoque aqua, ructibus dimiſſis. Ingraveſcit malum. Præter hæc enim, de quibus modo dictum eſt, nox vel potius præludia ſomni ei acerba ſunt. Nam dum ſe quieti tradit ac dormiſcere incipit, terrore concutitur, anxius in altum ſubſilit pectore oppreſſo, corde ac arteriis palpitantibus. Artus quoque tremore quodam ſuccuſſantur. Deglutitio eſt fere impoſſibilis, donec conatibus variis vel aqua vel vino hanc demum vincat oppreſſionem. Luditur autem ſcena fere eadem, quamprimum dormitare de novo incipit, donec tandem poſt obluctationes ejusmodi ſomnus arctior membra occupet. Equidem ab annis aliquot

terrebatur quandoque, dum dormiſcere voluit, præcipue dum in ſiniſtro cubaret latere, atque de nocte non raro poſt horrida inſomnia cum anxietate ac cordis palpitatione evigilaverat. Verum nec conſtans, nec acerbum adeo ac nunc malum erat. Præterea jam pridem inſipidi aut vappidi e ventriculo ructus per œſophagum excutiebantur. Jam vero ſæpius eorum aliquos in ventriculo flaccido moveri languide ſed non ultra cardiam propelli ſentit. Equidem fere a primis juventutis annis quadam laboravit ventriculi imbecillitate. Inteſtina ei cæterum mobilia ac a leviſſimo medicamine aut ſæpe ab animi pathematibus ad ſolvendam laxius alvum ſollicitabantur. Elixirium acidum, etiam ſub paroxyſmo adhibitum, facilius e ventriculo attollebat ructus, ſicque inflatione levata anxietatem ac oppreſſionem diminuebat, ac ægrum itaque ſenſim malo iſto relevavit.

Casus VIII.

Virum obeſum vino deditum quotidie quatuor a paſtu horis aliqua ventriculi, ac inteſtinorum fortaſſe, ægritudo exercuit. Per dies ei octo mane & veſperi drachmam unam

cum

cum dimidia cremoris tartari obtuli. Mollem inde quotidie alvum flatibus divitem reddidit. Hæsit autem constans circa ventriculum dicto post pastum tempore dolor, licet æger tempore matutino bene valere videretur. Itaque elixirii acidi usum consultum duxi, qui periodica hacce ægritudine Virum annis haud juniorem mox eripuit.

Notum est homines esse, quos erysipelas vexat frequentius. Nec absque noxa decurrit febris ea, præcipue ubi aliqua jamdum labe corpus afflictum est. Oedemata, ulcera, tumores ac reliqua febre erysipelacea acerbiora reddi novimus. Vir erat ætate gravis, qui mox in pede, mox in brachio, vel alibi tumore post erysipelatem prægressam ac ulcere maligne mulctaretur. Decoctis variis fere incassum adhibitis elixirium acidum optime proderat. Mulier quædam tumore alicubi vexabatur acerbiore, quoties post unum aut alterum mensem erysipelas eum irritaverat. Hancce autem ad erysipelatem dispositionem correxit Oleum vitrioli cum aqua & Syrupo adhibitum. Celeberrimus Tissotus acida jam, cremorem quippe tartari, acetum, vinum

cum aqua, ac vegetabilia ad præcavendam eryſipelatem commendavit.

Casus IX.

Matrona hyſterica non raro capitis dolore, vertigine, anxietate, proſtratione virium, extremorum frigore, ac pulſus exilitate, premebatur. Obſervavit poſt clyſma acre vel purgans medicamen adhibitum plerumque mucum ex inteſtino provocari; adeoque muco eo educto paroxyſmum non raro præverti exiſtimavit. Præprimis autem cataméniorum tempus vix unquam absque ejusmodi ſymptomatibus atque mammarum præterea dolorem præteriit. Menſium fluxus parcus erat, vel nigricans, tenax ac craſſus, vel tenuis, pallidus loturæ carnium non abſimilis, atque albus poſt dies aliquot. Ferri uſus parciorem ac pallidiorem aliquoties effecerat menſium fluxum. Dabam elixirium acidum per menſem ac ultra. Catamenia nunc largius per octo vel decem dies effluebant, bene colorata, ſed haud absque pruritu aut acrimonia excoriante. Cæterum ſymptomata alias ſolennia abfuerant. Obſervabam adhuc aliquoties fere uberiora poſt uſum elixirii in laxis corporibus

ribus catamenia, licet & ab eorum profluvia æque utiliter id exhibuerim.

Nec, quas acida externe exſerant, vires deſunt. Oleum vitrioli aliquoties in dentibus carioſis eximie profuiſſe teſtor. Quodſi dolores ægri per dies aliquos jam perpeſſi fuerunt, ita ut ſanguinis ibi major motus acæſtus fuerit, venæſectio olei uſui jungenda erit. Alias quædam olei guttulæ goſſypio exceptæ, denti carioſo immiſſæ nervum indurando dolores momento fere citius auferunt. Quamprimum poſt immiſſum oleum aqua os eluitur, omnis quoque mox dolor, & ille ab olei ardore cauſatus, & ille a nervi irritatione, ablatus eſt.

Cæterum ut breviter de acidis præcipua repetamus, ea fortiora, quippe elixirium acidum vel alia olei vitrioli præparata nervos firmant, nimiam itaque eorum mobilitatem figunt; in morbis itaque hypochondriacis, hyſtericis, nervinis, in convulſionum denique motibus, non raro egregie opitulantur. Educta quippe materia, ſi adeſt, ad ſiſtendam nervorum irritabilitatem ſunt maxime idonea.

In peculiari ad erysipelatem dispositione primum forsan locum tenent. Nec non in hectica ex sanguinis aut humorum acrimonia aut tenuitate suum præstant. Fluxum mulierum album hucusque tollere haud noveram, & forte acido minerali remedium vix erit efficacius. Ex ratione enim duplici id autumare poterimus, primo quia humorum putredinem dissolutionem ac corruptionem corrigit, solidaque laxa firmat, dein quia nervorum sensilitatem minuit. Quis enim nescit, fluxum istum angoribus animi, mœrori, ac cæteris animi affectibus, qui sensiles nimis supponunt nervos, omnia fere incrementa debere. Præterea notæ sunt, quæ de oleo vitrioli cum aqua & syrupo misto in scabie sananda laudes efferuntur. Quanquam & ego fateri ingenue debeam, me eandem nondum olei acidi efficaciam fuisse expertum.

Observationes miscellæ.

I.

Novi studiosum jurium, qui ex febre miliari putrida evaserat. Per totum fere morbi cursum mox mitius mox sævius delirabat.

Omnis

Omnis autem nunc morbus aberat. Consumptæ quidem vi morbi vires erant, nullum autem in judicio nunc vitium advertebatur. Objecta enim præsentia sentiebat, ac recte de iis judicabat. Verum præteritorum nulla fuit memoria. Non noverat urbem, plateam, domum, ubi ejus erat domicilium. Nonnulla præteritorum a sociis revocabantur, ad quæ utpote incognita obstupuit. Narrabant ei, quoties in musicis doctus Symphoniæ choro adfuerit. Sed neque ei veniebat in mentem, quod unquam musicorum peritus fuerit. Dabatur ei cythara, apponebat digitos, & miratus fuit vehementer, dum cantilenæ motis digitis harmoniam observavit. Gallice alloquebantur eum, atque recte, ut ante morbum, respondebat, quærebatque stupens, num unquam linguam istam calluerit. Neque recordabatur, quod jurium studio aliquando vacaverit, quanquam labore semper difficultates superaverat, quas ingenii quædam tarditas objecerat. Petebantur quædam ex Heineccio definitiones, ac appositè illas, ut pridem, recitabat, semper de ignota sibi in artibus ac scientiis habilitate obstupens. Tandem quæ morbi tempore effluxerant, denuo in mentem redîêre.

II.

Puer ſex vel ſeptem annorum ventris fluxu putridiſſimo poſt ſeptem hebdomadas convaluit, atque ad incedendum vires recuperaverat. Aſt mentis jam impos erat, brutoque ſimillimus. Comedebat, bibebat, quæ dabantur ei, aliisque cibos abripiebat, nihil poſcens, nihil ſuo compellans nomine. Nec propterea quidquam metuit, nec alicujus eum puduit. Aquas ac loca plena diſcrimine absque reſpectu adiit. Nihil ferme loquebatur niſi verbulum quandoque inſolitum ac improprium. Uno tandem die, cum potum caffee ac panem ſaccharatum acceperat, vinum dein nobile comprehendens bibebat largiter. Dormiverat; evigilans autem mane ſororem nomine ſuo vocabat, juſculum poſcens. Id hucusque prudentiæ nondum ediderat. Læta deſuper ſoror parabat juſculum, afferens autem iſtud, fratrem æque fatuum reperit. Porrigebatur porro vinum, infuſum caffee, panis ſaccharatus, ac die ſequente per aliquas horas hominis in eo rationem notare potuimus, atque ſic conſtantiore indies tandemque perfecta demum ratione utebatur. Deerat quippe hic idearum præteritarum memoria

ac

ac mutua ſucceſſio, quemadmodum præſentium ſenſatio ac ad eas reflexio turbata erat. Diſcordes itaque ac remiſſi fluente morbo toni ſive fides cerebri ac ſenſuum nova denuo coaptatione, vino nimirum ac roborantibus, ad harmoniam redigendi erant.

III.

Studioſus lucubrationibus ac profundioribus ſtudiis deditus, præter perpetuum in primis viis acorem ſummamque virium concoctricium imbecillitatem, ita tandem viribus exhauſtus fuit, ut lecto jacens dum ſe valide movere vel cibos duriores comedere voluit, exanimis fere procubuerit. Pariterque mentis exercitium ſimili corpus languore affecit. Quoties enim quandam ex Metaphyſica vel Phyſiologia propoſitionem ſubtiliorem mente volvebat, mox jacuit evanidus, in animi fere deliquio. Ideas rerum viſarum vel auditarum apprehendebat, E. g. videbat ſcamnum, menſam, ſed ad angulos, ad fabricam eorum objectorum reflectere haud poterat, vel certe absque eodem languore ac tandem deliquio non poterat. Profuêre in hac mentis ac corporis imbecillitate Moſchus, Spiritus cornu cervi

cervi ſuccinatus, roborantia. Sed collo ſcrophulis a pueritia obſeſſo in interioribus ſimile forſan vitium ſuſpicari licuit. Itaque ex hac forte cauſa & ob nimiam ſolidorum debilitatem, poſtea cachexia ac hydrope corpus, ac præcipue aquis ſcrotum, occupabatur. Poſt frequentiores ſcroti ac pedum ſcarificationes ſæpius aquæ copia educta fuit. Tandem autem tabe magis quam hydrope conſumptus eſt. Ante obitum interim lienteria aliquando nullis vincenda remediis inteſtina digerebantur. Sinapiſmum tandem toto abdomini appoſui, qui vires ægri languidas mire relevans corpus demum crudo adeo profluvio laborans continebat.

IV.

Venator ſpirituoſis deditus aliquando a ſociis coactus fuit, ut infuſo caffee, quod nunquam antea guſtaverat, ſe repleret copioſius. Obtemperavit tandem, dum fruſtra diu reluctatus fuiſſet. Verum paralyſi mox tangebatur, ore contorto, brachio & cæteris unius lateris membris immobilibus factis. Ea autem paralyſis brevi deinceps tempore membris iſtis demum exceſſerat. Videntur hæc convenire cum ea paralyſeos ſeu apoplexiæ effi-

efficiendæ vi, quam de infuſo caffee Celeb. Tiſſot Lib. de Valetud. literat. ſuſtinuit.

V.

Virgo tenerrima in urbe degens, corpus parciſſime movens ſemper œdemate pedùm frigido laborat. Quoties autem ruri fuit, in regione montibus aſpera, frigida, aere forſan denſiore, omnis mox pedum tumor evanuit, licet æque parum ibi ac in urbe corpus moveret. Redeuns vero ad urbem uno mox vel altero die pedes aqua tumidos rurſus experitur. Conſtans hæc ab aliquot annis tumorum viciſſitudo eſt. Aërem ergo leviorem, mollem, humidum, qualis is urbium eſt, aqueis magis favere tumoribus perſpicimus.

VI.

Puella quædam nuperis annis adeo paupertate ac annonæ caritate vexabatur, ut per menſes quosdam nihil plane cibi calidi aſſumſerit. Ancillans poſtea cuidam cibos coctos, juſcula ac cætera calida acceperat, ſed male ſemper inde habuit. Ventris enim torminibus cæteraque affligebatur ægritudine. Ita nimirum a conſuetudine raro impune deſciſcimus!

VII. Pau-

VII.

Pauca quædam ad lactis hiſtoriam, haud ignota quidem, repetam. Animoſus olim in arce quadam Patriæ nutriebatur hircus quatuor pollens cornubus. Lac ab eo emulgebatur idoneum, ex quo butyrum ac caſei parari poterant. Tantum irritatio in apte conſtituto hirco valuit! In feminis levior non raro vis lac quoque in ubera pellit. Lac enim in ultimis arteriis advectum non niſi ſtimulo quodam, preſſione quippe vel contractione ulterius in tubulos lactis premi noſcimus. Quandoque vero preſſio vel ſtimulus mechanicus haud requiritur. Enimvero nonnullas novi feminas ſuam lactantes prolem, quæ dum in conviviis vel alibi in hominum frequentia a prole dimotæ ſunt, quamprimum lac in ductus lactis immitti ſentiunt, cum prolis ſuæ domi morantis recordantur. Ajunt tunc mulieres lingua germanica die Milch ſchießt mir ein.

VIII.

Sanguinis miſſionem in gravidis debilibus primis menſibus celebrandam, non urgentibus plethoræ ſymptomatibus, vix cenſeo.

Notum

Notum eſt enim frequentiores cæteroquin eo tempore abortus eſſe. Aliquoties enim obſervavi feminas laxas educto primis graviditatis menſibus ſanguine abortum enixas fuiſſe. Felici ſæpius ſucceſſu nullam plane in aliis recte valentibus miſſionem ſanguinis inſtitui.

IX.

Homines nonnulli ætate graves, laxi, per annos ſæpe urinam retinere vix valebant. Sequentis id mihi hydropis aliquoties fuit indicium.

X.

Vetula centum fere annorum vere anni 1774 dentes inciſores recuperavit, quos ante annos viginti quinque perdiderat. Unguibus quoque decorticatis novi ſuccedebant.

XI.

Caniculus quidam heri ſui amans omni mane in lectum ejus alacriter aſſilit, dum in cubiculum adducitur. Obſervatum autem fuit, canem iſtum heri lectum non adire tribus vel quatuor diebus ante podagræ futuræ, qua laboravit dominus, paroxyſmum. Ultimis autem

tem decedentis arthritidis diebus ad lectum denuo advolavit. Ajebant quoque canem eundem ſubinde e pedibus doluiſſe. Addam autem, quod hæc mihi ab hero ac ejus affinibus duntaxat narrata fuerint. Ipſi enim mihi eam canis præſagientis ſagacitatem cernere haud contigit.

XII.

Illius affectus animi, quem Zimmermann indignationem vocat, mirum quendam in puella effectum adnotavi. Iſta opibus haud tenuibus prædita a milite nequiſſimo allicita ac ſpe futuri matrimonii gravida facta fuit. Partum edidit, & a parentibus inique læſis foras eliminabatur. Nutricem poſthæc alibi agit ædibus excuſſa patriis ad ineundum mox conjugium ſemper appellens animum. Doloſe autem diu iſtud miles diſtulerat. Falſo tandem rumore puellæ renunciatur die quodam, ſponſum dilectum aliæ ſe puellæ junxiſſe matrimonio. Hærens hac in re triſtis ſponſa ad templum progreditur. Et en! miles caſu virginem, de qua rumor ferebat, manuducens ei e templo obviam venit. Terrore puella noſtra afficitur; falſo exiſtimans ſe neonuptos

jam

jam vidiſſe. Domum revertitur indignata vehementer. Ajebat domi nimio ſe hodie terrore repletam fuiſſe, dummodo absque ſanitatis detrimento is præteriret. Subito quem tenet infantem ſinit prolabi, & ipſa caduco morbo concidit, eoque paroxyſmo extinguitur.

XIII.

Nequiſſimi quidam virus venerei in penem ingreſſum determinare voluêre. Sequens idcirco eligebant experimentum. Petulante penem manu ad ſeminis effuſionem provocabant, anhelumque eum, antequam omne evomuerat, lacti immiſerunt. Atque poſt tempus, ut ajebant, dum primo urinam mitterent, guttas quasdam lactis præceſſiſſe, ſecuta demum urina, affirmabant. Penis ergo, ajebant, ſua exſpuens aliena adfugit. Gonorrhææ itaque ortum experimento hocce ſtabiliri poſſe exiſtimabant. Sed quis de ejusmodi experimentorum haud absque piaculo repetendorum veritate certus erit?

XIV.

Aliquis ab odore pomorum ita horruit,

ut cellam iis repletam prætereuns Syncopen paſſus fuerit.

XV.

Alius dum largiore ei vel repetita ſectione ſanguis copioſe educitur, ad riſum ſemper pronior devenit, ac porro eum vix continere valet.

XVI.

Reſtat mihi experimentum iis forſan, qui fragorem tonitru indagantur haud inutile. Dum in officinis ferrariis rotundæ ſeu cylindricæ formantur fornaces, eæ in pluribus formis ſeu typis in terram juxta ſe defoſſis, limo ac fimo, ni fallor, circumdatis funduntur. Quodſi nunc ferrum igne fuſum uni horum typorum infunditur, alius huic vicinus atque aer ibi contentus adeo calefit, rarefit, ut ſi & in hunc ferrum fuſum immittere velis, guttatim in altum ſubſiliat, nec typum expleat. Antequam itaque ferrum fuſum ei infundant fabri, aſſulam accenſam ad ejus orificium tenent, ad quod fragor ſclopi exonerati fragori non abſimilis exoritur. Tum vero materiam ferri fuſam typo infundere tuto queunt.

XVII. Mi-

XVII.

Mirum tandem viri cujusdam, ſutoris egeni, narrabo morbum, olim ad obſeſſorum hiſtoriam haud ineptum. Ab annis ſex aut ultra morbus iſte repetitur. Præmittam autem, etiam fratrem jam ægri noſtri fuiſſe maniacum. Prævia itaque nonnunquam in ſutore noſtro reſpirationum frequentia ac difficultate, quandoque absque iis, paroxyſmus adoritur. Pallidus illico fit ſedens vel in lecto aut alibi cubans æger, horrore concutitur, atque quidquam, vel veſtem, vel pannum vel calceum, arripit, idque convolvit ac dilacerat. Voces tum articulatas quidem, ſed ignotas, non ſignificantes, profert, cantat ejusmodi. Altum ante paroxyſmum hunc præcedit ſilentium, oculique in unum figuntur locum, quærentibus tum recuſat reſponſum. Quandam tunc circa ſcrobiculum cordis, in ventriculo quippe, ut putat æger, experitur coarctationem, quæ aſcendendo collum claudit, comprimit. In cute exoritur illud, quod cutem anſerinam vocant, trementibus nonnunquam artubus. Anxietas poſthæc, pectorisque oppreſſio, ac faciei robur, inſequitur, dæmonesque copioſi, ut exiſtimat æger, ante eum ſaltant. Sicque ſo-

lennis paroxyſmus adeſt. Surgit tandem e-ſella miſer ac timens a dæmonibus ſuis ſe huc illucve ſubripit, ſemper retro cernens ac alloquens dæmones ſuos, quos ſua ipſi phantaſia ſiſtit. Quodſi retinere eum tunc in loco quodam voluêre, vix plurium vi cogendus fuit. Quandoque ſub paroxyſmo, quæ fregerat vel dilaceraverat, denuo reparat, inſcius eorum paroxyſmo finito. Nec videt, nec audit, nec itaque novit hominem, dum paroxyſmus adeſt. Obſervatum eſt, frequentiores poſt ſanguinis miſſionem paroxyſmos ingruere, rariores quandoque poſt alviductionem. Bis aut ter de die hicce paroxyſmus miſerum aggreditur. Poſt quatuor autem vel ſex vel ſeptem hebdomadas non niſi paroxyſmo epileptico, qui ſub alto ægrum clamore comprimit, ſcena finita eſt. Acerbius autem ac frequentius ab aliquot annis poſt accepta a Clerico medicamina malum eſt. Mulier ejus ante matrimonium aliunde jam prolem habuerat. Maritus autem eam hucusque intactam reliquit, quia inde, ut ait, pudore afficeretur. Denuo tamen ab aliquot annis uxor imprægnata fuit, reſponditque mihi maritum unica aliquando nocte æ-

quio-

quiorem fuiſſe, atque ſua ad generandam prolem præſtitiſſe. Sit fides hic penes uxorem. Ita porro illibati vir pudoris eſſe voluit, ut nec urinam unquam præſente muliere mittere voluerit.

Purgabam ægrum, ac poſtea elixirium acidum exhibui, quod poſt aliquot hebdomadas id quidem effecerat, ut nullus ultro paroxyſmus epilepticus accederet. Conſtans autem fuit alius, quem modo depinxi, paroxyſmus. Tandem adverti, ægrum hunc ab aliquot annis pondere in utroque hypochondrio non absque dolore vexatum fuiſſe. Adverti quoque, validos durante paroxyſmo ructus ſurſum flatusque fœtidiſſimos quandoque deorſum cum levamine erumpere. Cæterum modo poſt elixirii uſum paroxyſmi, licet æque frequentes, minus ſervabant typum. Sepoſui elixirii uſum, poſt adhibita reſolventia ac aperientia demum ad firmandos nervos implorandum. Medicamina itaque ſequentia exhibui: ℞. Rad. Cichor. Taraxac. Bardan. Scorzon. ana Unc. ß. Tart. tartariſat. drach. ij. cujus decoctum de die abſorbendum. Per

octo vix dies id medicaminis acceperat, & jam obstructiones hypochondriorum referari videbantur. Rariores erant ac leniores paroxysmi per quatuor vix dies redeuntes. Continuandum denuo remedii usum per octo dies consultum duxi, ac ultra, demumque elixirium acidum rursus adhibendum.

FASCICULUS TERTIUS.

HYGROLOGIA FULDENSIS,

SEU

EXPERIMENTA

CIRCA

FONTES MEDICATOS BUCHONIÆ.

Quinque in Regione noſtra Fuldenſi fontes medicatos noſcimus. Celebrior iſte prope *Bruckenavium*, detectus anno 1747, tribus milliaribus & dimidio ab urbe *Fulda* verſus meridiem diſſitus, virtutum medicarum præprimis præſtantia, loci amœnitate, ambulacrorum, ædificiorumque elegantia, ac increſcente ſenſim hominum illuc convenientium frequentia, indies celebratus latius, inter celebriores Germaniæ fontes haud humilem locum tuebitur. Septuaginta novem pedes ab hoc fonte verſus meridiem, trans pontem, alia eſt Scaturigo mineralis eleganter ad uſum exſtructa, quam diſtinguendi gratia, a pago propinquo *fontem Wernarzenſem* vocabimus. *Bruckenavienſis* prima dicetur. Duobus ab urbe milliaribus & medio, prope pagum *Kothen*, quoque verſus Franconiam, alia ad accipiendam commode aquam Scaturigo mineralis parata eſt. Sit nobis *Kothenſis* iſta. Deinde vix medio ab urbe milliari prope præpoſituram in monte Sancti Joannis altera eſt ad hauriendam duntaxat aquam apta. *Johan-*

nisbergenſem eam nuncupabimus. Ac demum milliari uno ab urbe altera diſſita eſt ad hauriendam aquam æque adaptata, quam a pago vicino *Memmelſenſem* dicere oportebit. Nota hæc ultima jam eſt a ducentis annis atque a Medicis olim Francofurti, Fuldæ, ac alibi, forſan juſto inermius, laudata.

Quæ circa quinque hos fontes medicatos experimenta noviter anno 1774 inſtituta ſunt, ſincere recenſebimus.

Aquæ Bruckenavienſis examen chemicum.

I. Spiritus mineralis ſeu Principii elaſtici aquarum mineralium demonſtratio.

Principium hocce ex aëre elaſtico ac phlogiſto quodam componi juſte credimus. Probat id vaporum igneo-ſubterraneorum ex materie ſulphurea ac martiali ſuſcitatorum ac aquis non raro arcte admiſtorum analogia. Maximam enim inter vapores ſeu exhalationes ſubterraneas ac mineralem aquarum ſpiritum, quoad naturam ac originem eſſe ſimilitudinem, ſuadet Ratio ac Experientia. Virtutes quoque eorum fere eædem ſunt. Uterque nimirum vapor ſeu ſpiritus inebriat, vertiginem, gravitatem capitis, ſomnolentiam ac cætera, quæ liquores ſpirituoſi ſolent, efficiunt. Reſpirationem nimii opprimunt, ſuffocant.

Novimus aërem jam idonea quantitate fluido miſtam ac cum eo hauſtam mire exhilarare, animare. Nonne muſtum recens aëre ſeu ſpiritu plenum *Cornaro* decrepito vires ac animum

mum reſuſcitavit? Vim antiemeticam ſalis alcalini cum Syrupo limonum ſub efferveſcentia ſumpti ab evoluto aëre fixato *Pringle* derivat. Inde forſan & aqua noſtra Bruckenavienſis, valis jam aſſervata, ubi ergo absque marte fuit, in pertinaciſſimo vomitu hypochondriaco, poſt cætera incaſſum tentata, ſalubris repente facta fuit. Inde forſan eam in colicis ac ſpasmodicis affectibus profuiſſe credimus.

Liquet igitur, hunc aquarum ſpiritum ex aëris ac phlogiſti connubio ortum ſummæ eſſe efficaciæ. Corporis enim vaſa minima permeat, aperit; ſubtili ſtimulo fibras ad contractionem eleganter animat, earumque auget elaſticitatem, ad motum ſollicitat languidas. Vi ſua elaſtica, expandente, humores rarefacit, attenuat, tenuiores reddit ac ad circulum aptiores; volatiores eos, ut ita dicam, ac magis ſpiritu divites efficit. Vaſa aperit, dilatat. Solidis itaque robur addit, humoribusque ad motum ac vigorem aptitudinem. Verbo œconomiam animalem conſervat, animat.

Solennis inde fontium medicatorum uſus

ad

ad humores adtenuandos, coagula dividenda, obſtructa aperienda, languida excitanda. Favent ciborum adpetentiæ, digeſtioni, ſe- & excretiones facilitant, adjuvant. Sufficiant hæc generatim circa vires ſpiritus mineralis dicta. Sequentia jam experimenta ſpiritus ejusdem in aqua Bruckenavienſi evincunt præſentiam, copiam:

I.

Ex lagena ad fontis Scaturiginem aqua repleta bullulæ ſpirituoſæ ad plures pollices ſubſiliunt. Suber non raro ad multorum pedum altitudinem valide excutitur. In balneo bullulæ eædem ad corpus copioſe hærent, atque in labro abundanter vagantur non ſine murmure. Copioſiſſimæ bullulæ aëreæ parietibus vitri adhærent, ſi aqua mineralis in iſtud, non obturatum, affuſa fuerit. Cæterum ſpiritus vis cum aëris ad barometrum gravitate exacte conſentit.

II.

Vaſa aqua repleta cautiusque obturata, ſi calori exponantur, ingenti cum ſonitu disrumpuntur. Urnæ hinc ſeu lagenæ ad exte-

ros

ros mittendæ prope Scaturiginem, antequam obturentur, ne rumpantur, non parum deplendæ ſunt.

III.

Aqua noſtra Bruckenavienſis ad leviorem ignis gradum, ac aqua communis, ad evaporandum apta eſt. Nimirum aëreæ particulæ aquæ interſtitiis calore excuſſæ partim aquam rarefactam ac quaſi laxius cohærentem, leviorem, ad evaporationem pronam relinquunt, partim ſecum in altum abripiunt. Notavimus ſæpe, ex eadem ratione, aquam iſtam in lagenarum collis ſub menſa ad pollicem dimidium aut altius aſſurgere.

IV.

Quodſi aqua noſtra ſub antlia pnevmatica ponatur, longe notabilior exſurgit bullularum ebullitio, dum vel parum aëris extractum eſt, quam cum aqua communis ejus loco ibi collocata fuerit.

V.

Nonne a ſpiritu iſto minerali id habent aquæ minerales, quod nunquam frigore hiemali congelentur, nec putrefiant calore æſtivo? Quod carnes ac reliqua adeo a putredine

ne tueantur, eamque corrigant incipientem, ut repetita de aqua noſtra teſtantur experimenta?

VI.

Aqua noſtra ſpecifice levior deprehenditur. Hydrometron ne ſupra globulum immergi potuit. Quodſi vero aqua per noctem in vaſe aperto ſervata fuerat, aufugo tunc ſpiritu, hydrometron ad gradum ſecundum ſubmergebatur. Cæterum aquæ mineralis volumen cum æquali aquæ pluvialis puriſſimæ volumine æquilibrata, ſpecifice levius inventum fuit. Fuit aquæ mineralis pondus ad iſtud aquæ pluviæ $= 7\frac{1}{20} : 7\frac{1}{40}$.

II. Reactiones chemicæ, quibus præſentia acidi vitriolici martialis ſtatuitur.

I.

Dum infuſum gallarum aqua pluvia paratum inſtillatum fuit, mox color flavus, ſucceſſive badius, poſtridie fuſcior exortus fuit, cum cuticula aurantii coloris ſubpingui. Hæc abſumpta, exſiccata, nitro mixta nonnihil detonari paſſa eſt, phlogiſti præſentis indicio.

II. Ad-

II.

Admiſta aquæ minerali Auripigmenti ſolutio cum calce viva parata lacteum colorem cum fœtore ovorum putridorum exhibuit. Sequente die valde exiguum ſedimentum album præcipitatum fuit, hærente ſupra aquam cuticula albeſcente. Puriſſimi hæc acidi mineralis indicia habentur, nec aliud quid noxii aquæ ineſſe confirmant.

III.

Additæ fonti conchæ calcinatæ & præparatæ quidem nullam cauſabant efferveſcentiam, aquæ autem ad alterum usque diem non exiguam conciliaverant dulcedinem. Latens quippe in aqua acidum minerale conchis prorſus abſorptum fuit. Idem a Magneſia nitri genuina habebatur experimentum.

IV.

Tinctura Sulphuris cum Sale tartari & aqua parata, atque Tinctura Sulphuris cum calce viva & aqua parata aquæ colorem nonnihil lacteum efficiebant, atque ſequente die præcipitatum album cauſaverant.

V. So-

V.

Solutio laccæ muſicæ acidum vel parciſſime aquis miſtum ubique prodens, aquam noſtram quamprimum rubram, ſenſimque vino burgundico non abſimilem reddidit. Sat validi ergo in aqua noſtra acidi habetur teſtimonium.

VI.

Ab infuſo corticum granatorum aqua pura parato mox color flavus, ſequente die aurantius, cum pauxillo præcipitati albo-cinerei, exortus fuit. Et exinde acidi mineralis præſentia deduci poterit.

VII.

Ab infuſo herbæ Theæ aquæ minerali addito illico color ſubflavus, flavus magis ſequente mane, cum cuticula in aquæ ſuperficie ſplendente, ſubpingui. Ab infuſo florum Balauſtriorum color caſtaneus, cum cuticula ſupra ſplendente.

VIII.

Ab infuſis herbæ Veronicæ, Fœniculi, Foliorum Querci, Tormentillæ, Salviæ, color ſubflavus, altero die puniceus obſervatus fuit.

IX.

Novimus lignum nephriticum aqua communi coctum, cærulee tingere. Decoctum ejus cum aqua minerali factum atrum fuit.

X.

Aqua noſtra Vino rhenano & Saccharo admiſta, leviter dein concuſſa, copioſas e fundo vitri in altum elevatas bullulas ſpumantes exhibuit. Quippe eodem tempore, quo alcali iſtud in aqua præſens cum acido vini init connubium, aquæ ejusdem pars volatilis, ſpiritus ſeu principium æthereum, valide movetur, ab alcali aquæ forſan repellitur, atque ſub ſpuma ac vapore excutitur.

III. Sequuntur Experimenta ſeu Reactiones, quæ ſalis alcalici in aqua præſentiam pronunciant.

I.

Solutio Vitrioli Martis cum aqua pura parata multos quamprimum flocculos leves, flavos, ſenſim ad fundum ac parietes vaſis adhærentes, cum pulcherrima in ſuperficie cuticula ſubpingui, producebat. Hæc quidem

dem exiguam illam ochram martialem ac alcalicam denotant, cum & oleum tartari per deliquium ſolutioni vitrioli martialis aqua pluvia dilutæ inſtillatum phænomena eadem exhibet.

II.

Syrupus violarum ab aquæ admiſtione primo die ſubviridis, poſtridie herbaceus factus eſt.

III.

A ſolutione vitrioli veneris aqua parata, a ſolutione cupri limati cum Spiritu ſalis ammoniaci vinoſo parata, color Smaragdinus notabatur.

IV.

Spiritus vitrioli, Spiritus nitri, Spiritus ſulphuris, Spiritus ſalis levem ebullitionem cum bullulis per minuta aliquot conſpicuis cauſavit. Limpidus interim aquæ color manſit.

V.

Ab admiſtione Spiritus ſalis ammoniaci vinoſi & ſimplicis nulla in aqua noſtra Bruckenavienſi mutatio obſervari potuit. Nunquam nimirum Spiritus alkalinus volatilis Sal alkali purum præcipitat.

VI.

Ab affuſione aquæ calcis vivæ recenter paratæ lacteſcentem nonnihil colorem aqua induit, mox demum limpida facta. Ita quippe aqua calcis cum ſalibus ac terris alcalicis puris ſolet.

VII.

A ſolutione aluminis aqua pluvia parata exiguæ bullulæ diſcretæ oriebantur. Pellucidus autem aquæ etiam ad diem ſequentem color fuit.

VIII.

Affuſis oleo tartari per deliquium, liquore nitri fixi, Spiritu cornu cervi, nulla ſequebatur aquæ variatio. Nullam itaque adeſſe terram calcaream exinde evincimus.

IX.

Cremor Tartari, Succus citri, Acetum acerrimum, exiguam cum aqua efficiebant effervescentiam.

X.

Solutio Sacchari Saturni cum aqua facta, colorem cauſabat lacteum, atque album ſedimentum deponebatur. Alcali aquæ ineſſe docet methodus parandi Magiſterii Saturni, quod ab alkali præcipitatur.

IV. Vis Aquæ antiſeptica probatur.

I.

Quodſi in receptaculo, in quod aqua e ſcaturigine per tubulos ſalit, ponatur caro, etiam fervente ſumme æſtate melius ac in præſtantiſſima crymotheca a putredine caro iſta ſervabitur. Vidi volatile pecus ſemiputridum, nec non carnes ferinas ac alias tactas putredine, aqua minerali diligenter elutas, demumque in ea ſepoſitas a putredinis vitio rurſus correctas fuiſſe.

II.

Immittebantur carnis bovillæ partes æquales, æqualibus vitris tribus, aqua communi uno, altero minerali, tertio decocto ſaturato corticis peruviani, repletis, atque ſub eodem caloris gradu vitra aperta exponebantur. Obſervabatur carnes in putredinem abiiſſe in aqua communi altero jam die, in aqua minerali die ſexto, in decocto corticis die octavo.

III.

Sed vitris clauſis, ſervato ſpiritu minerali experimenta repetenda exiſtimavi. Caro in vitro aqua minerali pleno, ſub calore ſolis ſemper in ſuperficie natans, fundum petiit,

dum concutebatur vitrum, mox autem poſtea emergens, poſt ſolis demum occaſum ad vaſis fundum ſponte ſubſedit. Sed fortior jam fuit aquæ vis antiſeptica iſtam decocti corticis æquans aut ſuperans. Audiant hæc Medici cordicis rudius adſtringentis vires antiſepticas pleno adeo ore deprædicantes!

V. Exhibentur ea, quæ ex aqua Bruckenavienſi analyſi chemica obtinuimus.

Ex aquæ hujus mineralis libris viginti ſeptem (libram unciarum ſedecim aſſumpſimus) in retorta vitrea leniſſima deſtillatione abſumptis ſequentia obtenta ſunt:

a) Salis amari neutri grana quadraginta & duo.
b) Salis puri alcalini grana triginta ſex.
c) Salis cujusdam acido ſalis culinaris miſti grana quindecim.
d) Ochræ martialis grana ſexaginta duo.
e) Selenitidis grana viginti octo.

Summatim Grana centum, octoginta, tria, ſeu drach. iij. gran. iij.

Demon-

Demonſtratur. I.

Salis neutri (*a*) veritatem Syrupus Violarum ab eo immutatus ac alia experimenta ſtabiliunt. Solutioni hujus ſalis aqua puriſſima factæ ſpiritus vini rectificatiſſimus affundebatur, ad quod flocculi illis nivis non abſimiles ad fundum vaſis ſubſidebant.

II.

Salem (*b*) vere alkalinum eſſe exinde probamus, quod Syrupi violarum colorem cæruleum in intenſe viridem mutaverit, atque Mercurium ſublimatum rubre præcipitaverit.

III.

Sal (*c*) acido culinari mixtus eſt. Addito enim Spiritu nitri puriſſimo, cum aliquot auri foliolis, aurum mox ſolutum vidimus. Nec idem contigit, dum hujus ſalis culinaris loco ſal medius (*a*) adhibebatur.

IV.

Ochra martialis (*d*) genuina adeſt. Magnes enim ex ea calcinata ſpicula martialia adtrahit. Flores quoque ſalis ammoniaci martiales cum ea parari poterant. Martis quoque

in aquæ præſentia detegitur, cum Zincum granulatum in aqua diutius coćta poſt aliquot horas pulverem nigrum præcipitet.

V.

Selenites (*e*) probatur, quod terra iſta cum acidis non efferveſcat; probatur quoque colore albo, forma ſquammoſa, plumoſa, quæ nudo conſpiciuntur oculo. Haberi autem quoque potuit Selenites iſta, cui quidquam adhuc alcalini admiſtum fuit. Hæc dum calcinata fuit, magis fuſca ac cauſtica fiebat. A granis viginti tum quindecim manſêre. Citius hac ſelenitide impura Mercurius ſublimatus flave præcipitatus fuit.

Repetebantur nonnulla experimentorum cum aqua per octiduum in vaſe aperto ſervata, ac quædam aliter ſuccedebant.

I. Solutio laccæ muſicæ immutata manſit.

II. Affuſo oleo tartari aqua limpida fuit.

III. A ſolutione Sacchari ſaturni aqua lacteſcebat, atque album ſedimentum depoſuit.

IV. Addita ſalis communis ſolutione aqua erat limpida.

V. Ab aqua calcis color ac ſedimentum album.

VI. A ſolutione Vitrioli veneris color parum cæruleus atque ſedimentum album præcipitatum fuit.

VII. Syrupi violarum color haud mutabatur.

VIII. Color aquæ ab infuſo herbæ Theæ nitidé flavus, cum exiguo ſedimento.

IX. Ab infuſo gallarum aqua vix tingebatur, atque parum ſedimenti albi præcipitabatur.

X. Infuſum florum Balauſtriorum colorem aquæ purpureum reddidit, cum cuticula ac ſedimento.

XI. Infuſum corticum granatorum colorem cauſavit flaveſcentem cum ſedimento albo, idem fere infuſum Tormentillæ effecerat.

XII. Ab inſtillato Cornu cervi ſpiritu nulla quoad aquæ colorem mutatio obſervata fuit.

XIII. Solutio Mercurii ſublimati album colorem cauſavit, ſimileque ſedimentum exiguum.

XIV. Ab infuſo Roſarum flavedo pallida.

Ergo tum nec ſalis alkalini nec acidi tam aperta habentur indicia. Acidum igitur cum

Spiritu minerali partim avolaverit, partim cum Sale alcalino connubium arctius iniverit.

Præterea circa aquam Bruckenavienſem notandum eſt, quod in lagenis per dies aſſervata omnem ſuam ochram martialem ſubtiliſſimam ad fundum & latera vaſorum dimittat. Itaque tum nihil niſi reliqua ejus contenta ex aqua obtineri queunt, mars autem puriſſimus e vaſis abraditur. Ergo patet ratio, cur exteris phthiſicis, hecticis, cæterisque optime conduxerit. Qui martem poſcunt, ex ipſo fonte bibant aquas. Cæterum & id aqua hæc peculiare habet, quod in vaſis, ſi relinquatur apertis, omne mox perdat ſpirituoſum, omnemque inde ſaporis generoſi & acris gratiam: idem & in vaſis nimium poroſis contingit, tardius quidem ad fontem, citius, poſtquam jam in vaſis aſſervata per tempus aqua fuerit.

Aquæ Wernarzenſis examen chemicum.

I.

Spiritus mineralis iisdem experimentis ac iſte aquæ Bruckenavienſis probari poteſt. Eadem ejusdem videtur quantitas, vis ac præſtantia.

II.

Probatur vitriolici quidquam ineſſe aquæ experimentis ſequentibus:

I. Aqua ab infuſo gallarum illico flaveſcit. Minor die ſequente flavedo erat, ſed ſedimentum albo-fuſcum præcipitatum fuit.

II. Aqua a ſolutione auripigmenti cum calce viva parata parum lacteſcebat, cum fœtore ovorum putridorum. Alba ſequente die cuticula conſpiciebatur.

III. Solutio laccæ muſicæ rubedinem exhibuit.

IV. Infuſio Corticum granatorum colorem aquæ primo die ſubflavum, ſequente die aureum, cum exiguis in fundo vaſis floccis, conciliavit.

V. In-

V. Infuſio Herbæ Theæ cum aqua minerali ſubflava, ſequente die minus talis, cum cuticula ſubpingui, evaſit.

VI. Infuſio florum Roſarum colorem leviter ſubflavum præbuit.

VII. Infuſio florum Balauſtriorum ſubflava, ſequente die coloris aurantii cum cuticula fiebat.

III.

Pauxillum ſalis culinaris ſeu medii ſequentibus experimentis detectum fuit.

I. Limpida fuit, admiſta aqua, Mercurii ſublimati ſolutio.

II. Solutio vitrioli martis flavum altero die ſedimentum cum eleganti cuticula cauſavit. A pauca quidem aquæ noſtræ terra alkalina hæc reactio potiſſimum repetenda erit.

III. Lactea fiebat aqua calcis vivæ aqua noſtra admiſta.

IV. Syrupus Violarum parum rubebat.

V. Limpida manſit aluminis ſolutio.

VI. Limpidus ſimplex ac vinoſus ſalis ammoniaci Spiritus.

VII. Limpida ſalis ammoniaci ſolutio.

VIII. Oleum

VIII. Oleum tartari limpidum.
IX. Solutio Veneris parum ſubviridis fiebat, quod æque terræ alcalicæ adſcribendum.
X. Limpidus manſit Cornu cervi ſpiritus aquæ admiſtus.

IV.

Dum per octo dies aqua noſtra in vaſe aperto ſervata fuit, ſequentes notabantur Reactiones:

I. Solutio laccæ muſicæ colorem exhibuit violaceum.
II. Oleum Tartari limpidum manſit.
III. Album ſedimentum ſolutio Sacchari ſaturni præcipitaverat.
IV. Limpida erat ſalis ammoniaci ſolutio.
V. Aqua calcis albe præcipitavit.
VI. Solutio veneris colorem parum cæruleum, atque album ſedimentum exhibuit.
VII. Syrupus Violarum paulo magis virideſcere poſt horam videbatur.
VIII. Ab infuſo Herbæ Theæ aqua eleganter flava fiebat ſepoſito exiguo ſedimento puniceo.
IX. Infuſio gallarum aquam vix tingebat. Pauxillum ſedimenti albi feceſſit.
X. Infuſio florum Balauſtriorum colorem

aquæ

aquæ intenſe rubrum impertiit, copioſumque dedit ſedimentum ac cuticulam.

XI. Aqua ab infuſo corticum granatorum flava fuit, cum albo ſedimento.

XII. Ab infuſo radicis Tormentillæ parum ſubflava aqua fuit.

XIII. Spiritus Cornu cervi ab aqua haud mutabatur.

XIV. Solutio Mercurii ſublimati exiguum ſedimentum album cauſavit.

XV. Infuſio Roſarum parum turbide alba fuit, cum albo ſedimento.

Contenta Aquæ.

Ab octodecim libris Aquæ (libra uncias ſexdecim continebat) poſt evaporationem ex Retorta ſequentia habebantur.

a) Salis medii grana octodecim.
b) Salis culinaris grana decem.
c) Alcalinæ terræ grana triginta ſex.
d) Terræ ſeleniticæ grana octo.
e) Ochræ martialis grana duodecim.

Sal medius (*a*) ex alkali minerali ac acido vitriolico conſiſtere videtur. Sapor ejus amarus eſt, ſalia inde fontium amara dicuntur.

Sal

Sal culinaris (*b*) omnia ſalium culinarium experimenta ſuſtinuit.

Terra alcalina (*c*) Violarum Syrupo colorem ſucceſſive herbaceum conciliavit. Admiſto ſale ammoniaco ſal quoddam volatile exſurgebat. Cæteraque cum terra hac alcalinæ terræ habentur indicia. A granis ſex terræ hujus peracta calcinatione quatuor manſêre grana.

Selenites (*d*) cum nullis acidis efferveſcebat. Magis ad albedinem in igne calcinabatur.

Ex ochra martiali (*e*) Magnes ſpicula ferrea adtraxit. Sublimata ochra ille cum ſale ammoniaco pulcherrimos flores ſalis ammoniaci præbuit. Pauca utique aquæ hujus ochra eſt.

Aqua Kothenſis.

I.

Debilior nonnihil in Aqua Kothenſi Spiritus mineralis, ſeu debilius Principium elaſticum per varia experimenta detegebatur, ac iſtud aquæ Bruckenavienſis fuit.

II.

Acidi vitriolici volatilis demonſtratio.

I. Solutio auripigmenti cum calce viva & aqua parata aquam lacteam, illico vero limpidam rurſus, cum fœtore nidoroſo, atque cuticula die ſequente conſpicua, præſtitit.

II. Rubrum ſolutio laccæ muſicæ colorem oſtendit.

III. Subfuſcus ab infuſo gallarum color, ſequente aurora fuſcior, natante in medio quodam præcipitato.

IV. Ab infuſo corticum granatorum flavus color, altero die flavior, cum exiguo ſedimento ex flavo fuſco.

V. Infuſum Roſarum rubrarum ſubfuſcum colo-

colorem, adfuſo autem vitrioli Spiritu rubrum præbuit.

VI. Subfuſcus ab infuſo Tormentillæ color conſpiciebatur.

VII. Subfuſcus color ab infuſo florum Balauſtriorum ſequente die ex rubro puniceus.

VIII. Ab infuſo herbæ Theæ ſubpallidus ſeu ſulphuri ſimilis, ſequente die itidem talis.

III.

Salis alcalini demonſtratio.

I. Solutio vitrioli martis aqua deſtillata parata aquam ſubflavam reddidit, flavumque ſequente die ſedimentum depoſuit.

II. Limpida perſtitit ſolutio aluminis aqua miſta.

III. A ſolutione ſacchari ſaturni color lacteus, cum albo altero mane ſedimento.

IV. Aqua poſt affuſam mercurii ſublimati ſolutionem ad alterum diem lactea perſtitit.

V. A ſolutione vitrioli veneris color Smaragdinus.

VI. Limpida fuit aqua affuſo cornu cervi Spiritu.

VII. Limpida affuſo Spiritu ſalis ammoniaci ſimplici ac vinoſo.

VIII. Exigua a ſpiritu nitri, ſalis, vitrioli reactio.

IV.

Aquæ contenta.

Aquæ hujus libræ octodecim (libra unciarum ſedecim) in Retorta leniſſimo igne evaporabantur, atque ſequentia inde obtenta ſunt.

a) Salis alkalini grana decem.

b) Terræ ſeleniticæ ſquammoſæ grana novemdecim.

c) Ochræ martialis grana quadraginta.

Sal alkalinus (*a*) Syrupum Violarum herbaceo colore tingebat. Admiſtus ſali ammoniaco ſalem volatilem exhibet. Mercurium ſublimatum flave præcipitavit. Color ſalis hujus eſt ex flavo puniceus, atque ad aerem, ut cætera ſalia alkalina, facile liqueſcit.

Selenites ſquammoſa (*b*) cum acidis haud efferveſcit. Albior fit poſt calcinationem. Ejusdem quidquam jungebatur Spiritui nitri fumanti, atque immutata per diem ſelenites fuit, altero die movebatur piſtillo quodam tenui, atque advertebatur, figura non mutata, mucilago eſſe. Selenites hæc cum æquali portione

tione ſalis tartari in crucibulo bene luto munito per horæ quadrantem calcinata ac fuſa, demum cum aqua deſtillata elixivata fuit, atque exiguus hepatis ſulfuris odor notabatur, ex quo acidum vitriolicum in terra ſelenitica eruitur.

Cum Ochra (*c*) martiali flores ſalis ammoniaci martiales confici poterant. Ochræ hujus grana quindecim calcinata ſex modo grana reliquerant. Ochra a calcinatione non rubebat, ſed fuſco-flava fuit. Nec ferrum ex ea habebatur, niſi addito oleo lini vel pinguedine alia, calcinata fortiter fuerit. Bracteolæ aureæ in ochra conſpicuæ ab acido cum phlogiſto ſubpingui juncto eſſe videbantur. Enimvero quidpiam ochræ nitro in igne fuſo dum additum fuit, detonatio ſecuta eſt, phlogiſti indicio. Nec peracta detonatione bracteolæ aureæ ultro conſpiciebantur, cum poſt alia quæcunque experimenta eæ cerni poterant. Splendidiores præprimis erant bracteolæ, dum ochra addito inflammabili calcinata fuit. Mixtum iſtud ex ochra martiali & nitro fuſo ſequente die humidum erat; quodſi itaque ochræ illius copia adfuiſſet, ita ut nitro fuſo tan-

tum ejus immitti potuiſſet, usque nulla demum detonatio ſecuta fuerit, certe Nitrum fixum obtentum fuiſſet.

V.

Phænomena, quæ ex aqua per octo dies in vaſis apertis ſervata poſt miſcelas chemicas obſervabantur.

I. Syrupus Violarum viridis comparuit.

II. Solutio laccæ muſicæ adhuc intenſius cærulea.

III. Oleum tartari limpidum.

IV. A ſolutione Sacchari ſaturni ſedimentum album.

V. Solutio Salis ammoniaci limpida perſtitit.

VI. Aqua calcis vivæ exiguum ſedimentum album cauſavit.

VII. Solutio auripigmenti cum calce viva parata album ſedimentum dejecit.

VIII. A ſolutione Vitrioli veneris color ac ſedimentum cæruleum.

IX. Ab infuſo herbæ Theæ color modice flavus ac ſedimentum puniceum.

X. Ab infuſo gallarum color modeſte flavus, cum exiguo ſedimento albo-cinereo.

XI. Ab

XI. Ab infuſo florum Balauſtriorum color ſubflavus.

XII. Ab infuſo granatorum color ſubflavus, & ſedimentum ex albo puniceum.

XIII. Infuſio Radicis Tormentillæ admiſta aqua pallide flava fuit.

XIV. Aqua addito Cornu cervi Spiritu limpida fuit.

XV. A ſolutione Mercurii ſublimati ſedimentum album.

Aqua Johannisbergenſis.

I.

Sub Antlia pnevmatica ac poſt alia experimenta exiguum quid Principii elaſtici ſeu Spiritus deregitur.

II.

Acidum ſubtile vitriolicum palam fit.

I. Aqua a ſolutione laccæ muſicæ colorem vini burgundici tulit.

II. A ſolutione gallarum aqua illico ſanguinea, deinde violacea ac turbida. Ad fundum vaſis poſt horæ quadrantem copioſum ſedimentum rubrum fuit. Altero die cuticula ſplendens herbacea conſpicienda fuit. Quodſi aqua per aliquot dies in vaſe aperto ſervata fuerat, eadem cernebantur phænomena, quæ ab aqua communi, in qua ſal culinare ſolutum fuit, admiſto infuſo gallarum habentur. Quippe color albus, turbidus, ſimileque ſedimentum.

III. A ſolutione corticum granatorum aqua flava, altero die fulva cum ſedimento copioſo ac cuticula.

IV. Solutio herbæ Theæ cum aqua miſta flava fuit, ſequente mane fuſca, cum cuticula.

V. Ab infuſo Roſarum aqua ſubfuſca fuit, cum cuticula.

III.

Sal alkalinus detegitur.

I. A ſolutione Sacchari ſaturni aqua lactea, ac altero die ſedimentum album, ſimilisque ſupranatans cuticula conſpiciebatur.

II. A Syrupo Violarum color viridis.

III. Affuſa aluminis ſolutione altero die exiguum ſedimentum album oriebatur.

IV. A ſolutione Mercurii ſublimati exiguum ſedimentum ſubflavum, ac ſimilis cuticula.

V. A ſolutione Vitrioli veneris color lacteus & ſedimentum ſubviride.

VI. Solutio Vitrioli martis copioſum ſedimentum flavum, cum cuticula ſplendente, cauſavit.

IV.

Salis culinaris argumenta.

I. Oleum Tartari aquam lacteam reddidit, cum ſedimento albo altero die conſpicuo.

II. Spiritus ſalis ammoniaci ſimplex ac vinoſus effectum eundem præſtitit.

III. Spiritus cornu cervi volatilis exiguum ſedimentum album ſimilemque cuticulam effecit.

Quippe terra illa alcalina, quæ additis hisce præcipitabatur, eſt terra illa muriatica antea cum Spiritu ſalis culinaris conjuncta, nunc libera, dejecta, poſtquam Spiritus ſalis cum alkalinis perfectis connubium iniit.

V.

Ab Aqua per octiduum ſub aëre libero ſervata ſequentia habebantur:

I. Solutio laccæ muſicæ immutata hæſit.

II. Spiritus ſalis ammoniaci ſimplex ac vinoſus album ſedimentum projecit.

III. Oleum Tartari cauſabat ſedimentum album.

IV. Limpida affuſa aqua manſit ſalis ammoniaci ſolutio.

V. Ab aqua calcis vivæ minimum ſedimentum album.

VI. A ſolutione Vitrioli veneris copioſum ſedimentum viride.

VII. A Syrupo violarum aquæ color herbaceus.

VIII. A ſolutione Mercurii ſublimati ſubflavum ſedimentum.

IX. Ab infuſo herbæ Theæ color parum puniceus & ſimile ſedimentum.

X. Ab infuſo florum Balauſtriorum aqua altero die rubida, cum ſedimento fuſco ac cuticula.

XI. Ab infuſo gallarum color aquæ ſubviridis, atque ſedimentum ſubfuſcum cum cuticula.

VI.

Aquæ contenta.

A libris octodecim (libra unciarum ſedecim) ſequentia relinquebantur:

a) Salis culinaris Unciæ dimidium ac grana quadraginta duo.

b) Terræ alkalinæ ſubflavæ drachmæ tres ac grana ſedecim.

c) Salis alkalini grana triginta.

d) Terræ ſeleniticæ grana duodecim.

Sal culinaris (*a*) prunis ardentibus adſperſum crepitabat. Nonnihil ſalis ejusdem Spiritui nitri admiſtum, auri foliolis ſuperfuſum, aqua regis fiebat, aurumque inde ſolutum eſt. Spiritus nitri ac vitrioli dum adſtillabatur, fumus albus prodiit. Noſcitur ſal hic ex ſapore, ac cryſtallis cubicis.

Terra alkalina (*b*) Syrupum Violarum viridem reddidit. Addito Sale ammoniaco ſal volatile oritur. Admiſcebatur terræ hujus portio ſolutioni Mercurii ſublimati in mortario, atque poſt medium horæ in medio cuticula flava, cum annulo flavo-viridi ad latus mortarii cernebatur. Calcinatione granorum undecim quatuor grana deceſſerant. Nec vero eſt terra calcarea, cum enim ejusdem drachma dimidia in crucibulo calcinaretur, aquaque deſtillata affunderetur, nullum incaleſcentiæ indicium habebatur, ut alias cum terris cretaceis ac calcareis haberi poteſt.

Terra ſelenitica (*d*) experimentis ſupradictis confirmata fuit.

Ochra martialis ex aqua Johannisbergenſi & Memmelſenſi nulla habetur, licet ad ſcaturiginem ea colligi poſſit.

Aqua Memmelſenſis.

I.

Principium elaſticum æque exiguum ac in fonte Johannisbergenſi.

II.

Aquæ acidum vitriolicum ſubtiliſſimum.

I. Aqua à ſolutione laccæ muſicæ rubra fuit, ſequente die violacea, cum cuticula cærulea.

II. Ab infuſo gallarum aquæ color intenſe puniceus, cum ſedimento puniceo die ſequenti conſpicuo, ac cuticula viridi.

III. Ab infuſo corticum granatorum color obſcure fuſcus, cum ſedimento altero die fuſco atque cuticula.

IV. Ab infuſo Radicis Tormentillæ color aquæ obſcure fuſcus, cum flavo die ſequenti ſedimento ac cuticula viridi.

V. Ab infuſo roſarum color ex fuſco flavus, cum cuticula.

VI. Ab infuſo florum Balauſtriorum aquæ color ſubflavus, ſimileque ſequente die ſedimentum.

VII. Ab

VII. Ab infuſo herbæ Theæ color aquæ flavus, altero die magis talis, cum cuticula.

III.

Sal alkalinus detegitur.

I. A ſolutione Sacchari ſaturni aqua lacteſcebat, cum albo ſequente die ſedimento atque levi cuticula albida.

II. Syrupus violarum colorem pallido-viridem, poſt diem herbaceum exhibuit.

III. A ſolutione Mercurii ſublimati aqua parum lacteſcebat, cum ſedimento altero die flavo.

IV. Color aquæ lacteus a ſolutione vitrioli veneris, cum ſedimento poſt diem albo-viridi.

V. A ſolutione Martis ſedimentum flavum, cum cuticula.

IV.

Sal culinare.

Oleum Tartari, Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus & ſimplex, Spiritus cornu cervi volatilis, lacteum aquæ colorem albumque poſt diem ſedimentum conciliaverant, Terræ muriaticæ, antea cum Spiritu ſalis junctæ, nunc depoſitæ argumento.

Cæte-

Cæterum Aquæ Johannisbergenſis ac Memmelſenſis ſibi ſimillimæ ſunt, niſi quod primæ contenta copioſiora ſint.

V.

Aquæ per octiduum aëri libero expoſitæ Examen.

I. Immutata fuit Laccæ muſicæ ſolutio.

II. A Spiritu ſalis ammoniaci vinoſo ac ſimplici ſedimentum album.

III. Ab oleo Tartari ſedimentum album.

IV. Aquæ affuſa ſalis ammoniaci ſolutione color limpidus.

V. Ab aqua calcis exiguum ſedimentum album.

VI. A ſolutione vitrioli veneris ſedimentum copioſum virideſcens.

VII. Color a Syrupo Violarum parumper viridis.

VIII. Ab infuſo herbæ Theæ color parum flavus ac ſedimentum fuſcum.

IX. Ab infuſo gallarum color æque viridis, cum copioſo ſedimento fuſco ac cuticula.

X. Ab infuſo florum Balauſtriorum coloris aqua obſcure flavi fiebat, fuſcum ſedimentum depoſuit, cum cuticula.

XI. Ab infuſo Radicis Tormentillæ aqua parum flava erat, cum ſedimento fuſco.

XII. Al-

XII. Album a ſolutione Mercurii ſublimati ſedimentum.

XIII. Aqua ab infuſo florum Roſarum pallide flava fuit cum ſedimento puniceo.

VI.

Aquæ contenta.

Octodecim libræ aquæ peracta evaporatione præbuerunt

a) Salis culinaris grana quadraginta novem.

b) Terræ alkalinæ Unciam dimidiam ac grana quadraginta duo.

c) Salis alkalini grana viginti quatuor.

d) Terræ ſeleniticæ grana ſedecim.

Sal culinaris (*a*) omnia circa ſalia culinaria conſueta experimenta ſuſtinet, illique fontis Johannisbergenſis ſimillimus eſt.

Terra alkalina (*b*) quoque illi aquæ Johannisbergenſis ſimillima, omniaque experimenta ſuſtinet. Granis octo calcinatis grana ſex obtinebantur.

Sal alkalinus (*c*) poſt diem liqueſcit, atque cum ſale alkalino Johannisbergenſis aquæ exacte congruit.

Terra (*d*) ſelenitica cum acidis non effervescit, cæteraque præſtat naturæ ſeleniticæ experimenta.

Aquarum mineralium Buchoniæ Æquiparatio.

Octodecim libræ (quarum quævis uncias ſedecim habet) aquæ *Bruckenavienſis* continent drachmas duas, grana duo.

Totidem libræ aquæ *Wernarzenſis* continent grana octoginta quatuor.

Kothenſis poſſidet granis ſexaginta novem.

Johannisbergenſis aquæ tot libræ præſtant unciam cum granis quadraginta.

Memmelſenſis drachmas ſex grana undecim.

Erit itaque Aqua Kothenſis = $8\frac{5}{8}$.
— — — Wernarzenſis = $10\frac{1}{2}$.
— — — Bruckenavienſ. = $15\frac{1}{8}$.
— — — Johannisberg. = 65.
— — — Memmelſenſis = $46\frac{3}{8}$.

TANTUM!

ERRATA.

Pag. 1	— lin.	9	lege	*puellam* loco *nullam*
- 30	— -	5	poſt	*dictum eſt* adde *porrigit*
- 30	— -	11	lege	*pituita*
- 37	— lin.	ult.	-	*detumeſcentia*
- 56	— -	11	-	*inflatum*
- 63	— -	4	-	*redeuns*
- 82	— -	4	-	*clyſteres*
- 90	— lin.	penult.	-	*Taraxaci*
- 96	— lin.	penult.	-	*compoſerat*
- 101	— lin.	19	-	*reluctanti*
- 107	— -	1	-	*Chartis*
- 109	— -	5	-	*cachectica*
- 119	— -	1	-	*ad eorum*
- 129	— -	14	deleatur	*ut ajunt*
- 131	— lin.	penult.	lege	*rubor.*